1514

ALEXANDER
BENEDICTUS


ANATOMICE







200



ℭ Alexandri Benedicti phyſici Anatomice ſiue hiſtoria corporis hūani.

ℭ Eiuſdem collectiones medicinales ſeu aforiſmi.

ℭ Venales habentur Pariſijs in officina Henrici Stephani chalcographi/e regione ſcholarum Decretorum.

¶ Primo libro de vtilitate anatomices, de membris ſimilaribus & diſſimilaribus tractatur.
Secundo, mēbra naturalia & genitalia continētur.
Tertio, ſpiritalia (quę ſupra ſeptum tranſuerſum habentur) tractanda ſunt.
Quarto, cerebrum & capitis partes, & multorum neruorum ratio deſcribitur.
Quito, de venis, arteriis, ſpinę medulla, muſculis, oſſibuſq; denarratur.

Libro primo hæc continentur.

Libri ſecundi capita hæc ſunt.

Libri tertii capita.

Libro quinto hæc narrantur

Auctores quos in hac historia secuti sumus hic prętexuimus, nō ingrateq; eos suis locis nominamus, ne in furto depręhendamur manifesto.

Ex gręcis:

Hippocrate, Platone, Aristotele, Galeno, Polluce, Ruffo, Alexandro Aphrodisieo.

Ex latinis.

Lucretio, M. Varrone, M. Cicerone, Cornelio Celso, C. Plinio, A. Gelio, Macrobio, Lactantio.

Quintij Hæmiliani Cimbriaci Poetę Hendecasyllabicō epos in anatomicen Alexandri Benedicti Veronensis ad lectorem.

Quorsum sidereos globos nitentes,
Aut tractus pelagi remotiores
Scrutari iuuat, exteramq; Tulem?
Si quę sunt propius, suaq; sponte
Occurrunt meditulio reposta,
Ac sic obuia negligis tueri?
Audi quid tripodes sacri loquuntur,
Ne erres, ortygos, aure de vapora,
Te ipsum noscito. Non iubent subire,
Qua mundi celeres rotantur orbes,
Fac sic, & sapies decem Cleanthas,
Ergo, vt te pariter queas videre,
Et tanquam in speculo reciprocanti,
Interna omnia membra visceratim,
Pæanti legito resectiones,
Scitas (Iuppiter) & bene expolitas,
Quas si legeris, & videbis intus
Quæ natura oculis negat patere,
Istuc transpicere, et tueri ad vnguem,
Plus est, q̃ æthereas plagas subire,
Metiriq; animo domos deorum.

ALEXANDER BENEDICTVS VERONENSIS PHYSICVS MAXIMILIANO CAESARI AVG. ROMANORVM REGI INVICTISS. SAL. Perpetuã Dicit.



Istoriã hũani corpis, quã anatomicen greci, nos mẽbrorũ resectionem vocam⁹, tibi Maximiliane Cæsar Auguste dicare cõstitui, opus a phia ad medẽdi vtilitatẽ conditũ. vbi cõditoris dei opificiũ mirabile diuinũq; perspicimus. hoc est, corpus (vt ĩquit Plato) aĩe quasi vehiculũ tẽporariũ, vnde fœlices etiã inspectiones (quas theorias vocant) imagines siue phãtasię, cogitatiões, memoria, ratioq; orianť, cõsideram⁹. pro quib⁹, oculos, aures cęterosq; sensus in corpore patefecit naturalis solertia, vt p eos aditus, scientia pueniret ad mentẽ. Medẽdi quoq; ratio omnis, vsusq;, ac chirurgica disciplina hinc pẽdet. Quando quidã morbi, plura mẽbra vel singula inuadunt, vel si abscessus innascunť, aut vomica intus latitat, aut vulnera inferuntur, aut mẽbrũ cõuellitur, aut luxatur, aut quid simile euenit, nichil horũ sine humani corporis dissectione recte dephendi potest. Ex hac diuc Imperator qui religione moribusq; & doctrina pręstas, deũ illũ mundi procreatorẽ, rerum omniũ cõditorem, ex intima veluti naturę contẽplatione, & offi

cina arcani operis egrediēs, cōtabūdus religiosius ve-
neraberis, qui nichil ociosū, nichil inane cōfingit. Et ad
mundi vniuersi habitū facili⁹ oculos cōferes, cuius spe
ciē pusillus homo refert. Singulatim pręterea mēbro-
rum omnium potētiam cognosces. eorūq nomina tā
græca q̄ latina, omissis barbaris, pcurres. quę Pollux
author exquisitissimus, ad Cōmodum Cæsarem sum
matim persecutus est. Quæ si videre volueris (chirur-
gis, horrido resecandi officio, & medicis, materia suo
theatrali digna spectaculo, relicta) subtiliusq perscru-
tari cuiusuis particulæ vires variosq effectus, tuæ ali-
quando licebit maiestati de naturę munere effusim di
iudicare. Decuit & Alexādrum magnū, cupidine no-
scendi animaliū naturas & proprietates, inter tot, tan
tosq rerum gestarū triumphos, insectorū etiam vires
intelligere. In Aegipto (qđ maius est) reges ipsos, cor-
pora mortuorum ad scrutandos morbos insecare soli-
tos, scribunt. Hanc philosophiæ partem, quam medi-
cinę ars ex disciplinę cōfinio in sese familiarius recepit,
tibi dicare decreuim⁹. nichil enim maius quod te prin
cipe dignū nobis esse videretur offerre potuimus, hoc
munusculo tibi litandum censentes, quod religiose do-
narijs tuis iā diu cōsecrauimus. quoniam plebs, nobi-
litasq non eodē modo deo supplicant. adorantium ta
mē preces pari gratia suscipiuntur, nec carmē cōposi-
tum, rusticæ præfertur garrulitati. Neq id facimus vt
te immortalē mortales reddamus. quippe qui immor
talis, & diuis simillimus genitus es princeps. Nec no-
bis elaborandū est, vt tibi maior gloria comparetur,
qui per te humanitate, pietate, abstinētia, liberalitate,
iustitiaq admirabili, vel teipsū vincēdo maximū pos-

ſides triumphū. Tu eapropter Cæſar Aug. omnium conſenſu, & parens reipu. chriſtianę ſemp optatus es, et iampridem electus. Itaq; inter laureas coronas, humaniſſime princeps hos libellos de hiſtoria membrorum hominis, quos latinos pro virili parte fecimus, ſuſcipias. in quibus nō ſine aliquo labore multa annotauimus, quę a recentioribus prętermiſſa ſunt, qui latinam linguam externis, immo barbaris vocabulis variiſq; erroribus dedecorarunt, miliaq; vulnerū medicinæ ſtudijs ſua inſcitia intulerunt. quę iuniorū ętas in tanta rerum caligine miſere ſecuta eſt, et barbarie flatu præceps impulſa cernitur. Vnde medicinæ nomen a gręcis ad arabes iam diu tranſlatum eſt. Quo ſucceſſu, ita arabica creuit audacia, vt de medicinę origine palam cū græcis contendere audeant. At furta rapinæq; in hac arte pręſertim depręhenduntur. Scio pleroſq; priori rubigini aſſuetos, qui hęc ceu inania & ſibi iaudita adunco ſuſpendent naſo. Hi hoc vnum ſciant, nos nō ſibi, ſi noſtra diſplicēt, ſed tibi Princeps humaniſſime, & latinę linguæ pręſtitiſſe. Has itaq; nugas noſtras cum per ocium licuerit, leges. Quę ſi præmaturius q̄ volebam æditę ſunt, id in cauſa fuit, q; morę impatientes, vt te ocius ſalutarent, abortiendi periculum nō extimuerunt. Vale diue Aug.

Venetijs. M.IIID. Calendis aug.

¶ Alexādri Benedicti Veronensis, physici, historię corporis humani Liber primus.

De vtilitate anatomices, & de cadauere eligēdo, deqꝫ temporario theatro constituendo. Cap. primum.



Nocentes homines ex carcere acceptos, viuos resecasse, reges ipsos publicæ saluti consulentes traditum est, vt spiritu etiam remanente, naturæ arcana, & quid natura magna solertia intra se agit, ꝑquirerent, membrorum posituram, colorem, figuram, magnitudinē, ordinē, processum, recessumqꝫ, ex quibus multa in defunctis mutantur, distincteqꝫ magis q̄ pie annotarēt, vt illatis vulneribus, quid integrum, quid corruptum sit intelligeretur. At id religio nostra vetat. quoniā truculentissimum est, vel carnifici horroris plenū, ne morituri inter tātos cruciatus desperatiōe futuræ vitę spem misere amittāt. Hęc barbari externiqꝫ ritus, qui excogitarūt faciāt, qui ea piacula et ostēta adamāt. At nos clemētius viuis parcētes noxiorū cadaverib⁹ intima, atqꝫ naturę arcana indagabim⁹. Obseruauereqꝫ priores medici, vt si qui ignotis morbis interijssent, dissectis cadaueribus, occulta morborū initia perscrutarēt, vt pari exēplo viuis prodessēt. Idē in simia sua facere Galenū nō puduit ignota mortis causa. sicut et nos in morbo gallico fecimus. Hūc resecādi modū pōtificales cōstitutiōes iāpridē ꝑmisere, alias execratissimū, atqꝫ abominabile, siue irreligiosū haberēt. Eorū p̄terea animę purificatiōibus ꝓ ritu occurrit, atqꝫ offēsionē eorū p̄cib⁹ ꝓpiciam⁹. Idqꝫ ipsi quādoqꝫ viuētes in custodijs petūt, vt potius medicorū collegijs tradātur, q̄ carnificis manu publice tru-

cidētur. Nec huiuſmodi cadauera ſine pontificū conſenſu attingi poſſūt. Ad reſectionē igiť ignobiles, ignoti, ex longinquis regiōibus, ſine vicinitatis iniuria, ꝓpinquorūq; nota, iure dūtaxat peti poſſūt. ſuſpēdioq; ſtrāgulati deligūtur, mediocris ętatis, nō gracilis, non obeſi corporis, ſtaturę maioris, vt vberior materia, euidentiorq; ſit ſpectantibus. Ad hoc pergelida hiems requiritur, ne cadauera protinus putrefiant. Loco prętere a amplo perflatili, tēporarium theatrū conſtituendū eſt circūcauatis ſedilib9, quale Romæ ac Veronæ cernitur, tantę magnitudinis, vt ſpectantiū numero ſatiſfaciat, ne vulnerum magiſtri qui reſectores ſunt, a multitudine perturbētur. Hi ſolertes eſſe debēt, quiq; ſępius reſecauerint. Sedēdi ordo pro dignitate diſtribuendus eſt. Ob id prȩfectus vnus eſſe debet, qui omnia intueatur, ac diſponat. Cuſtodes dādi ſunt, qui ingredientē importunā plebem arceant. Quęſtores duo fidi deligūť, ꝗ ex collectis pecunijs neceſſaria cōparēt. Ad id nouaculis opus eſt, cultellis, vncis, terebris, modiolis (chenicia gręci vocāt) ſpōgijs quib9 ſanguis in ſecando rapiatur, reciſorijs ac catinis. Funalia prętere a pro nocte parata eſſe debent. Cadauer vero in medio theatro, ęditiore ſcamno collocādum eſt, loco claro, reſectoribus apto. Tempus adeundi ſtatuendū eſt dum conuentus dimittitur, vt anteꝗ materia putrefiat, opus penit9 abſoluatur. Primūq; de humani corporis forma figuraq; ac dignitate, pauca percurremus.

De humani corporis figura ac dignitate. CAP. II.


Orpus humanum animę gratia conditū eſt, et inter cętera animalia erectū, vt quod diuina natura rationeq; cōſtat, ſurſum cōmodius

ſpectaret. vnde nomen gręci dedere. Solus homo vim obtinet cogitandi. vnus item reminiſcitur. memoriam tamen et diſciplinam (vt inquit Ariſtoteles) cum pluribus animalibus cōmunem habet. Membra, officiorum & munerum gratia conſtant, ad quę ſingula accommodãtur quę diſſimilaria vocantur. In humano enim ſemine calor eſt, tantam talemq; habens vim & actionem, vt ſenſim ad quãuis corporis partem accōmodetur. et primum cor conſtituit, quoniã in eo principium vitę, ac ſēſus cōtinetur. mox cerebrum et iecur. deinde quaſi pictoris officio fungatur natura, cętera mēbra liniamentis deſcribit in humore prolifico, quæ paulatim colores recipiunt ex ſanguine, qui in homine plurimũ inuenitur, et caloris plurimũ excitat, vnde cęteris erectior eſt, qđ facile nō eſſet ſi vaſta corpis moles ſubſideret. Quãobrem caput homini minime carnoſum eſt, et ſuperiorē obtinet ſitum, quo mundi vniuerſi habitum referret, vbi mens illa diuina habetur. At reliqua animalia grauiora, caput in terrã depreſſum habent, quibus natura pro brachijs manibuſq; crura priora ſubdidit. At hoi vero brachia et manus emolita eſt, ceu omnium animaliũ prudētiſſimo, quibus ad artes plurimas cōmode vteretur. Oculi in ſupma capitis parte, totius corporis cuſtodes ſunt, quorũ vices aures in ſono retinent. Capilloq; caput ceu velamēto pro frigore ęſtuq; integit. Supercilia addita ſunt ad ſudoris profluuium. Ciliaq;, ad incidētium incommoda. Naſus, animę reciprocationem reddit, de eſculentiſq; prior diiudicat, quinetiam genarum oſſa pro oculorum tutela prominent. Labra voci dentibuſq; neceſſaria ſunt. Collum, caput excipit ad circũagendum

idoneũ, pluribus vertebris accommodatum. Latera, costarum crate pluribus ossibus constant, & cum pectore veluti murum cordi faciunt, respirationi faciliora, quam si vno osse constarent. quod & in spinæ ratione conspicimus. At venter sine osse, cibo & fœminarum vtero aptior. Pubes os habet quo intestina gestamus, & conceptum mulieres. Genitale, neruis constat, nõ osseum est, vt quibusdam animalibus, ceu viuerris & mustelis. Pręputiũ glãdem integit, ne fœminum attritu lędatur. quod iudęi amputant mundiciæ gratia. Maribus prominet, fœminis intus genitale ceu vagina collocatur, quod si ꝓcidit, virile inguem apparet. Nates tanquam stragulum subditę sunt, quia non facile erecto corpore stãdo durat homo, sed requiem desiderat sedendo. At brachia quoqꝫ ac crura mira ratione flectuntur, crura introrsum, brachia extrorsum. hæc ad artes, illa ad incessum flexus habent. Quin & digitos ad capiendum premẽdumqꝫ cõmodatissimos dedit natura. Pollex crassior breuiorqꝫ a latere a parte inferiori sursum premit, cæteri a superiore, deorsum. Pollex ipse plurimum multisqꝫ pares vires habet, vnde nomen. Medius, longus est tanquam nauigij medius. Omnes digiti præter pollicem in compręhẽdendo ęquales sunt. Crura homini maxima sunt magnitudinis proportione, quia totum corpus et erectum sustinent. Digiti in pedibus breues sunt, quia ad nullum alium vsum præterq̃ ad ambulandum dati sunt. Vidimus tamen mulierem sine brachijs enatam, pedes pro manibus ad nendi suendique artem habuisse. Vngues propter imbecillitatem adiuncti sunt. Sed exteriorum partes nominaque, ordine exequamur.

Boniq; consulāt legētes, si quādo latina verba nō habuerim⁹, grecis vti maluerim, omissis barbaris.

❡De corporis partibus quę extrinsecus cernuntur, et eorum nominibus. CAP. III.



Rincipales corpis partes sunt, caput, pectus, venter. Secūdarię, collū, brachia, crura, ac verenda. Capitis partes exteriores his nominibus vocantur. Summum enim capitis, vertex dicitur, qui aliquibus duplex reperitur. ij macrobij & biuertices dicuntur. Bregma deinde siue sinciput, in frontem vergit, quod infantibus palpitat. Frōs postea & opposítum occipitiū. Aequamētū capillorū, ad summum verticem bregma diuidens. bina vtrinq; tempora. aures. oculi. anguli exteriores, paropiæ. interioresq; qui fontes dicuntur, vnde lachrimarum profluuium. Et Eon oculorū magn⁹ ambitus. Supercilia. quorū mediū, messophrion dicitur a Polluce. Palpebrę. in quibus lineæ rhitides & cilia. genæ deinde. malæ. nasus. Ethmus, nariū interseptū. globus. pterygia siue phenę. buccę. mistax. labia. os. mētum. quę omnia faciem numerosę varietatis efficiunt. Collum priore gutture, iugulo, & ceruice extima cōstat. a strophea vsq; ad athlātem vertebram. Ab eadem ac iugulo ad verēda vsq; & os sacrū, thorax colligitur. cuius eę partes sunt. Iugulus vterq;, dexter ac sinister, ossa enim versus humeros vergentia. pectus. māmę. papillę. malum punicū. chōdrus. hypochōdrion. os stomachi. cinctus. venter. vmbilicus, in medio corporis libramento. in cuius medio, acromphalū. circa quem corrugata vetula sita est supra vmbilicū. Epigastriū, ad iecur & lienem. subter vero, hypogastrion. Vtrinq;, ilia. lagona, & ceneona vocāt. lumē. pecten, qui & de pilis dicit. & mēbrū,

vt dictum est in vtroqꝫ sexu. Dorsi vero partes, scapulæ siue metaphrenū, mēsa, & spina, ī qua cynolopha, latera, renes, lūbi, os sacrū, nates, anus siue sedes. a cinctu vsqꝫ ad nates osphys dicit̄. Verēdorū, sunt penis, pręputiū, scortum. At brachia ijs constant, humero, alis, gibbero, et flexu, hoc est ancone, et olecrano, cubito, manus flexu, procarpiō gręci dicūt, manu auersa, quę opisthenar dicitur, palma deinde siue vola. Ir demum, quod thenar gręci vocāt. Ab idice ad minimū hypothenar. Pollex digitorū, vt supra dictum est, primus, index, medius vel infamis, ꝓximus deinde minimo qui medicus a quibusdā dicit̄, postremo minimus In digitis internodia, et digitorū prominētię quę condyli vocantur. internodia vero siue scytalides singulis digitis terna sunt, pollici bina tantū, vngues deinde & radices vnguiū. At crura a vertebra siue coxa incipiūt, femora deinde et interiora fœmina, genua, poplites. At tibias crura continent surasqꝫ a genibus vsqꝫ ad pedes, sub sura sphyron est. Tali in homine nō sunt, etsi tibiarū processus imi, qui maleoli dicūtur, talorum nomina acceperint, vnde talaria dicta sunt. simileqꝫ in cane est, quod & a. M. Varrone talus dicit̄. Collū sequit̄ pedis siue mons flexus, perna, vnde perniones, calx, carnosum vestigiū, planta, digiti pedū qui nominibus maiori ex parte, manuū digitis respōdent, pollex scilicet, minimus & medius, reliqui minimo & pollici ꝓximi dicuntur. vngues demum, qui neruorum postremo clausulę sunt, & operimēti gratia dati, vt extremos digitos integant, & tueant̄. sed de ijs quę manifesta sunt satis diximus. Hinc de humorum & mēbrorum qualitatibus differendum est.

¶De humorum & membrorum qualitatibus. CAP.IIII.

SAnguis primus inter omnes humores quattuor qui in humano sunt corpore, calidior est et humidior, aeris naturam referens, cæteros in sese commixtos humores continens. Flaua vero bilis, calida et sicca est, ignis proprietatem imitatur, cum externo calore præsertim accenditur. vapore enim vniuersa perturbat, vt in perniciosa causode conspicimus. Phlegma vero frigidū & humectum est, aquæ vim possidens. Atra bilis sicca ac frigida est, terrę naturam continens. Hos humores peculiaria conceptacula continent. venę sanguinem. stomachus pituitam. in iecore vesica bilem cōtinet. lien vero atram bilem, etsi hos eosdem sanguis contineat humores, qui vna per omnes venarum riuulos plus minusue ꝓ corporis habitudine diffundi in singulas corporis partes recta ratione comprehendimus, qui membris alimoniam subministrant, adeo necessarij, vt eorum quocūꝗ, aut per vim, aut spōte priuetur homo, eum in perniciem agi certum sit, vt atra bili tota reddita. Per venas itaꝗ & meatulos quoscunꝗ alimentum resudans (quemadmodum aqua per crudiusculū vas fictile, dū apponitur humor) simile fit, & demū vnitur et (vt verbis Galeni vtar) in carnem cōuertitur, aut aliud similare membrū, ex calore, frigore consistens. Ex quo fit, vt caro ab igne resoluatur. Calor enim nō ex quolibet carnem facit, nec quolibet modo, aut tempore, sed ex materia apta, et vt apte et cum apte effici potest. Carnem inter cutem et ossa cōstituit quę natura fissilis est, staminea veluti vena quam vilum nominant, in venas

fibrasq; trāsit quoties animal extenuatur, macrescitq; ? vertitur item in pingue, quoties cibi copia vel alimenti suppetit. Quibus multum est carnis, ijs venę arctiores, et sanguis rubentior, et vēter ac viscera parua, quibus parū, venę ampliores ac sanguis ater, viscera maiora, & venter amplior. At in arterijs quę spiritus receptacula sunt, quę ex corde oriūtur, spiritalis sanguis continetur, quem vitalem vocant, peculiarē enim vitā membris omnibus inspirat, et ad ossa etiam penetrat. Ex ijs pulsus ille, vitę index certissimus cōstat, qui per modulos certos, metricasq; leges armonię mō in membris mouetur, vnde vitę gubernacula habentur. Cardiacis, defectis, & morientibus venę intercidunt, et quibusdam sanis naturali vitio, quibus sępe medici incauti decipiuntur, de quibus nunc satis dictum sit, reliqua de spiritu et sanguine & de eorū venis libro postremo diffusius dicemus. Rursus corporis partes quędam calidæ, quędam siccę, aliæ frigidæ, nonnullæ humectæ sunt. Ex his, cor calidum est & sanguis quoq;, nā spiritum temperatum esse existimamus Aristotelis sentētia, iecur exinde, et caro peculiari sua caliditate, musculi deinde, renes ac lien. At sicca est pilorum natura, ossa deinde, chartilago, chordæ, ossium vincula, venę, arterieq;, & nerui qui vocales dicuntur a medicis. Frigidiora sunt eadem ferme, pili, ossa, chōdros, chartilago, mēbrana omnis, quæ hymen dicitur a gręcis, nerui, spinę medulla, cerebrum. Humentia sunt pingue, adeps, cerebrū, spinę medulla, adenes in māmis cęterisq; corporis partibus a nobis dictæ glandulæ. Hæc circa tēperiem (quā gręci crasim vocant) constituuntur Vna dūtaxat pars est maxime sensilis ī hūano corpore, hoc est cutis, ī palma p̄cipue, aut sūmo indicis, cui

temperata cõmixtio data eſt a natura, inter qualitates ſiccum, humidum, frigidũ, ac feruẽs, quę in viuẽtibus Deus rerũ conditor pari cum mundo ratione inter ſe repugnãtia mirabili nexu deuinxit, per qualitates enĩ ſuas, ſingula per cognationem & conciliationem quandam, ſingulis adhærent.

De membrorũ functionibus. CAP.V.


Artes quoqꝫ corporis aut omeomeriæ ſunt, ita græci vocant, nos ſimilares recentiori vocabulo appellare incepimus, quę in ſimiles partes diuidi poſſunt, ex elementis & humoribus tanquam rerum primordijs conſtituuntur, vt caro, os, ex quibus diſſimilares conſtant, quę in partes diſſimilis naturę diduci queũt, vt muſculus & facies. Ex primis, hoc eſt ſimilaribus, ſenſoriæ partes habentur, ex carne veluti, cute, neruis, quoniam ſingulorum ſenſibiliũ ſunt capaces. Ex diſſimilaribus, actiones motuſqꝫ exiſtunt, officiaqꝫ diuerſa, quoniam ex varia ſimilarium natura conſtant, vnde organicas, officiales, et inſtrumentarias partes appellamus. Ex membris quędam, quod recipiũt ſtatim tranſmittũt, vt gula, pyloron. alia recipiũt et cõtinent, vt fellis veſica. alia corpi neceſſaria. alia ſuperflua, illa vt ſtomachus, hęc vt aluus, & veſica. horum item alterũ, ſiccũ excremẽtum, alterum humectum tenet. quædã item ipſi indiuiduo, alia ſuc ceſſionis functioni neceſſaria ſunt, illa, vt iecur, ſtomachus, hęc, vt penis, teſtes, vulua.

De oſſibus & eorum natura. CAP.VI.


Sſa inter omeomeria firmiſſimæ ſunt materiæ, totamqꝫ corporis molem ſuſtinent, minime animata (vt inquit Plato) plurima atqꝫ

craſſiſſima carne adoperta. Ideo caput & pectus minime carnoſa ſunt, pręterquā in lingua, quoniā ad ſenſum pręcipue accommodata eſt. At carnis vnius gratia, oſſa, nerui, cutis, venę, arterię, vngues, pili, a natura dati ſunt. Ea omnium partium ſola, tangendi ſenſum poſſidet. Oſſa itaq; ad motus quāmaxime neceſſaria, inter quę ſpina vt naui carina, data eſt, ab ea coſtę recuruatę pateſcūt, reſurgūtq; ad latera. Oſſa quędam, aut corpus tuentur ſicut caluaria, coſtæ, radius, aut occurrentia arcent, vt quę Cynolopha in ſpina appellata canina prominentia, vnde nomen, aut inanitates complent, vt quam in genu patellam nominant. alia ſolidiora ſunt & robuſtiſſima, aliqua foraminulēta, vt calua. nonnulla medullę plena pro nutrimento, robuſtiora, vt femora, tibię. Omnia omento integuntur, quo diuulſo protinus ſiderātur, nec ſine eo ſenſum habēt, quoniā frigidę (vt ſępe dictum eſt) ac ſiccę ſunt naturę, frigido enī induruere, calido vero diſcocta ſūt, ſicceſcente humore, vnde reſolui ab igne non poſſunt. Pręter caluariā oīa ex ſpina oriūtur, et prima partium conſtitutiōe ex ſeminali excremēto gignūtur. cūq; homo augetur, incremētū capiūt aduētitio alimēto, ſiue a matrice ſiue foris aduenięs. itaq; oſſa ſicut cętera membra certo augēdi termino deſcribūtur, ſicut et animalibus, magnitudinis meta habet. Ex carne et oſſe nerui naturā mediā temperauit, inter eos & oſſa ſimiliter chartilaginē conſtituit. In homine oſſa (vt facile videri poteſt) circiter. cc. xlviij. cōnumerantur. Ea corrūpi nouum nō eſt. Sed abſceſſus innaſci mirū eſt, vt nuper vidimus, dū mulierē quandā gallico morbo interemptā reſecaremus, cauſam morbi perquirēdo, oſſa ſub omētis ſuis integris tumentia & ad medullam vſq; ſuppu-

rata inuenimus, ea dũtaxat ratione, quoniam & ipsa nutriuntur, abscessibus ob id afficiuntur.

De chartilagine. CAP. VII.

CHartilago, quę chõdrus, ex nerui ossisq́ natura constat, Polluce et Galeno testibus, in quã omnia ferme ossa desinũt, alioqui attritu siue concursu lederentur. Chartilago rupta nũquã ferme solidescit, & inter flex⁹ veluti lectisternium inseritur.

De neruis. CAP. VIII.

NEruos primũ oriri a corde credit Aristoteles, in quo priusquã cętera mẽbra formentur appareant, verum omnes fere (vt euidentius constat) a cerebro veluti eius vicario, spinęq́ medulla nasci magna ex parte cernũtur, vnde & spũs animales & sensifici semitas habẽt. Ij quidem albi sũt, lenti, sensificam atq́ motricem vim diffundẽtes, incisi non solidãtur, vulnerati summũ dolorẽ sentiunt, pręsecti nullũ. Qui chordę dicũtur, teretes sunt, musculis idonei in brachijs ac cruribus, interiores nerui mẽbra conducunt, superiores reuocãt, quod pręsectis intelligitur. Neruorum prӕterea natura, non materiӕ venarum continua de eodem initio procedit. Sic & vincula ossibus nodisq́ corporũ qui vocãtur articuli, adnexa, neruorũ naturã habent. Circa neruos quędã mucosa lenticia, q̃ ꝓ alimẽto a natura data est. At de neruorũ origine ac natura numeroq́, suo dicemus loco.

¶ De natura arteriarum venarũq́. CAP. IX.

ARterię ac venę quę ex neruorum materia constant ex corde oriuntur, crassiore iuxta ortum stipite, frigidę ac siccę naturę, calore decoctӕ, ac frigiditate coactӕ, illę, spiritus conceptacula

ſunt duabus membranis cōſtituta, dilatantˀ viciſſim ac perpetuo cōprimuntur, ſponte an ſpiritus motu, alibi tractandum. hinc vitę gubernacula habētur. At venæ ſanguinis conceptacula ſunt, mēbrana vna dumtaxat conſtitutę, immobiles, quæ mēbra omnia riuulis irrigant adeo plerumq; tenuiſſimis vt vix cerni poſſint. Ahortę poſtrema quę fibrę dicūtur, neruo omnino cōſtant, quippe quę nullo intus cauo diſtingūtur, tendūtur modo neruorum, qua deſinūt applicata ad nodos oſſium lubricos ex Ariſtotele.

¶ De muſculis ſiue lacertis. CAP. X.

MVſculi inter officiales & diſſimilares partes annumerātur, mouendi volūtariā virtutē p̄ſtant. Ij neruo, carne, mēbrana, velamie ambiente, neruis, ſummis oſſibus adhęrētibus cōſtant, medio, craſſitudine ampliores, intus carnoſi, neruoſa huc illuc diſcurrēte materia, vtrinq; capitibus in tenuitatē deſinētibus ob ſimilitudinē appellantur. Hinc mēbra functionē exercent, diſtendūtur vel ꝓtenduntur, vulneratis non ſine vitæ periculo diſtentiones eueniūt, gręci ſpaſmata, latini diſtentiōes vocāt. Ij, in labore laſſitudinē ſentiūt. Pluribus modis in corpore variant, tum figura, tum virtute, quoniā alij retinent, alij expellunt, calidis exacuūtur, ſtupefacientibus hebetanˀ, retinendi itē vis vnctuoſis lęditur, ſtypticis recreaˀ, alij oblongi ſūt, alij cōpactiles, alij latiores, quidā adeo mixti ſunt, vt vix diuelli queant, varijs tamē motibus cōſiderātur, et numero intelligūtur, quod in frōte & in labijs p̄cipue comp̄henditur. Alij aliter ꝓ ut corporis figuratio poſſidet, ſupra quingentos a diligentiſſimis authoribus colliguntur, de quorū ordine ac ſitu, poſtremo libro ſeorſum pertractabitur.

¶De omentis. CAP.XI.

OMenta ſequūtur ſiue tuniculę, quę ex neruoſa materia emolita eſt natura. ſicut quę cerebrum & medullam cōtinent, & mēbra cum neruis annectūt, vel ambiūt, vt iecur, renes, quibus ſenſum habent, alioqui non ſentiunt.

¶De adipe & medulla CAP.XII



Deps in homine inuenitur, circa enim mēbranas adnaſcitur. Pingue ſub cute eſt. Seuum in cornigeris circa renes inuenit̃. Pingue ſicut & omentū calefacit, in temperato enim corpore ſanguinis exundantia a membrorū ſaturitate congeritur, alioqui immēſo pinguitudinis pōdere ſenſus opprimitur, & ſæpe cōmoriuntur mēbra. Lardum in ſue, ſenſus expers habetur. Medulla in cauis oſſibus ſenſum nō habet, prętenui tamen ambiēte membrana integitur, quę in iuuenta rubens eſt, in ſenecta albeſcens, minuſq́ circa oſſiū capita, vbi medulla ſanguinea cernitur, ac minꝰ pinguis. Oſſa fracta nō ferruminantur, quod defluente euenit medulla.

¶De cute CAP.XIII.



Vtis carne ſicceſcente efficitur, quomodo (vt inquit Ariſtoteles) ĩ polētis cruſtula. Materię enim lētitudo cū euaporari nō poſſit, reſidet, quoniam id lentū et pingue eſt. Itaq́ cutis ex eiuſmodi lenticia conſiſtit, ſimilaris pars eſt, cum animali in vtero congenita, homini tenuiſſima, aeriq́ qui nobis circunfuſus eſt oppoſita, leuiter foraminulenta, vnde vapores exhalant. Quod euidentius apparet tyrannorum ſęuitia, cū miſeris inter maximos cruciatus diuellitur & exiccatur. tum cutis foramina cribri triticei magnitudine cernūtur. Hinc ſudor emanat, hac ta-

ctilium rerum species transigunt. Per medium veluti temperamentum sensifico tactu dijudicamus. ideo sine sensu est. Sub ea mucosus humor habetur. Vbicūq̧ cutis sine carne est, vulnerata nō coit, vt ī genis, buccis, ac pręputio, & his similibus.

¶ De vnguibus CAP. XIIII.



Ngues ex terrena admodū oriūtur parte, parum humoris calorisq̧ adepti, qui dum refrigescunt, humore ac calore euanescente in aerem, duram terrenāq̧ formā capiunt, sicut vngulę, cornua. Quamobrem igni molliūtur. Inter ossis et nerui naturam possident. Vidimus in creta dū hæc cōderemus, vulnerato genu sagitta, cornu nigrū rupicapræ capitis simillimū prodiisse, materiāq̧, quę in ossis substantiam conuerti debuisset, in corneā naturam, aeris afflatu facile conuersam, continueq̧ gūmi modo indurescētem. Plantarum quoq̧ ratio persimilis est, quarū partes quę terra operiuntur, radicis naturam habent. quę vero aere perflantur, frondes ferunt. Id obseruauere, qui arborum ramis propagines fieri docent. Nam ex summis arborū cacuminibus plantaria transferunt, & radices traiectis per vasa fictilia ramis solicitant. atq̧ eo blandimēto impetratis radicibus, inter ipsa poma & cacumina aliam arborē longe a tellure constituūt. Vngues in manibus magis excrescūt, quoniam (vt inquit Alexander Aphrodisieus) augmentum sursum magis defertur. Hęc summatim dicta sint dum corpus resecandū lauant, et nouaculas pro more pręparant, et quæ dissectioni necessaria videtur. Hinc ad partes interiores transeamus.

In librum secundū Anatomices.

¶ Alexandri Benedicti physici de membris naturalibus & genitalibus quę sub pręcordijs continentur.

¶ Prefatio ad amicos.



Dmonet Plato Christophore forouenstane Cęsaris nostri orator facũdissime, ne qui erga amicos & pręcipue patriam suã ingrati videantur. Vtrũq; facimus, si te ad hoc theatrum a regijs occupationibus auocamus cum Christophoro Lamphrãcho, Iusto Leliano, comitib9 Andrea peregrino, Dionysio cepio Veronensibus meis iure cõsultiss. inter quos & Ruffum meũ, & Iacobũ Mapheũ interesse volo, qui primi ad has partes spectandas nõ incongrue accedãt cum serenissimo Rege Maximiliano Augusto. Quũ vos omnes nouerim tum cibo tum potu tẽperatissimos esse, & ventris importunitatẽ sæpe coarguẽtes, et ad arcendã eius intẽperantiã bonos domitores esse et acres, Qm̃ partẽ quę in nobis diuina est, sua inexplebili auiditate sępe perturbat, et clamore suo strepituq; cõsultorẽ nostrũ animũ iniuste arcet. Iustus igitur aderit noster, vt nos in ocio ꝑmittat trãquillo. Nec ob id ęgre a vobis ferẽdum est, si exta vos hęc spectare voluero, cũ nulla in re naturã sine admiratione cõstare tradãt. Nam & Heraclitus, qui in domo fornaria forte sedẽs caloris gratia, ad sese quosdã accedere fidẽter iussit, quoniã eos tẽperantes viderat, Deos ĩmortales (inquit) hic adesse nescitis? Itaq; in oĩbus, naturę numen reperiri certum est, et plena animę esse omnia. Iocineris naturam inter exta Plato ꝑcipue cõmendauit diuinatione & simulachris, qđ speculi instar ad imagines exprimendas accõmodatum fuerit, genitaliũq; subinde mẽbrorum officiũ humanitatem

per indiuidua ꝑpetuantiū. in quibus mirū gignēdi desiderium atq; amorē incredibilē inseruisse, deū cognoscetis. E a membra nō ab referre morā plurimum indignātur. etsi ipsa se in fœminis letaliter sępe ꝑcludant, vt animal cōceptū proferāt in lucē. His cōspectis, ventris petulantiā, & libidinis violētiā sequentes, dānabimus. quoniā (vt Plato fabulatur) in varias degenerare bestias, nō intēpestiue illos demōstrare videmus.

De ventre et vmbilico CAP. II.

IN partes tris corpus humanū, quod dissecandum est diducitur, in supmā, mediā, & imā partē. Prior sensifica caput cōtinens. Media spiritalis. Ima naturalis in qua vēter subiacet, appellatur. In prima, sensuū nobilitas locū possidet. In secunda, vitę fons & ratio sedē habet. Postrema naturę officina est, a qua hac in parte initiū sumendū est, quoniā intestina ocius corrūpuntur. Ordiendū igitur est a malarū oim partiū pessima, hoc est, a ventre, cuius gratia mortaliū maior pars ꝑpetuo inseruit, nec vilitatē eius extimant fœdo retrimentorū opere, cū pleriq; maris ac terrę infinita pene pericula subeāt. Addo qđ omnibus vt molestissim⁹ creditor instat, nec diē sine appellatione pręternittit, omniū mēbrorū deterrimū vas. Illud est ꝓfecto quo vitā cū brutis cōmunē habēt pleriq;. infimū ꝓpterea in corpore et abditū locum tenet ob res imundas, veluti mēbris principalibus parcente natura, ob id sedes hęc a ratione animoq; longius relegata est, septoq; diducta fuit ne rōnalem animi partē importuna vicinitas ꝑturbaret. In hac ceu popinę locus, sordiū, ac excrementorum sedes, vt in ędificijs architecti auertūt, ab oculis, naribusq; dñorum, quę necessario tetri, fœdiq; aliquid habitura sint. Hæc supe-

rioribus mēbris ancillantur, ex quibus alia, in succum cibum cōcoquūt, quędam in varios humores digerūt, quędā exundātiam propellūt, sed de ventre exteriori prius agendum est. Hic ab ima parte mali punici intra ilia inguinaq; collocatur, cuius ps sumē est, osse caret venter, quia cibo (vt dictū est) increscit, residetq; in fame, quod & fœminis vterū gerētibus contingit. In medio vētre vmbilicus situs est, geminas arterias ac totidem venas cōplectitur, veluti extremo putamīe circū dante, nā & vtrūq; venarum par mēbranulis suis circundatur. Eę quatuor venę ex vtriculi acetabulis, hoc est cotylidonibus, per secundas cōceptui alimentū prębēt, q̄ vteri venis atq; arterijs respōdent, adhęrētibus īter se venarum orificijs, de quib⁹ mox dicturi sumus. Iecoris enim portas venis duabus quę in vnam coeūt, pertingit, ac geminis arterijs ad ahortam vbi finditur e regione vesicę, & duę de vna efficiuntur. In prouectiori ętate vmbilicus iam diu emeritus, pluribusq; induratus annis, exanguis apparet, & exilior veluti neruus videri potest. Ita vt tam venę quā arteriæ nullo modo cerni possint, verū resectores in secādo caueant, ne incaute pręcidant, quod & in cæteris obseruari præcipimus.

¶ De sumine siue abdomine. CAP. III


Ars quę infra vmbilicum sitū habet, sumen dicitur, ab antiquis abdomen, venas prętenues habet, subter cutē dispersas, quibus in vtero concept⁹ aquas emittit, quod in abortu euidentius cōpręhēdimus. Exinde pecten vel pubes subest, quæ infimam partem occupat ad naturalia spectās, venter deniq; his constat (vt iam secādi initium faciamus) cute, pinguitudine, mēbrana carnosa, musculis, neruis,

ac interiori demum mēbrana, quæ omento iungitur, peritoneon a græcis dicta, ea omnia intrinsecus exta integuntur, ab ilibus ac pube, sursum versus ad pręcordia peruenit. ¶ Vniuersam itaq; cutē intacto vmbilico per transuersas lineas a summo stomacho ad pubē, a leuis ad dextra ilia hoc modo incidito. ⊹ Sub cute pingue est, ab hoc carnosa mēbrana, deinde nerui, & musculi, & membranę interioris abdominis firmissimum (de quo diximus) inuolucrum, omnia interinuoluens intestina.

¶ De musculis ventris. CAP. IIII.

MVsculi in ventre octo inueniūtur Galeno teste, horum duo ab imo pectore carnosiores pectini iunguntur, in quibus longissima staminea ceu filamenta fissili quadā natura, sursum deorsumve tendentia cernūtur. sub his duo sunt, qui iuxta priores vtrinq; a costis tenuiorib⁹ mollioribusq; (quas græci rhoas vocāt) oriunt, & in neruos desinūt, transuersimq; pubi annectūtur. alij totidem ex aduerso a pectine sursum versus tendunt ad eadē pręcordia ad chi. χ. literę figuram, alij demum duo subter priores rectiori angulo per transuersum ad vtrāq; lumborum partem perueniūt, vbi adalligantur. Quidam tamen musculorū neruos quibus annectuntur, supra musculos maiores coire existimāt. Alij vero sub musculis maioribus cōiungi putant, quia ex diuersis locis in vnum conueniūt. Hęc a natura constituta sunt vt interanea intus robustius cōtineātur, cibiq; facilius regesto calore concoquātur. Astringūt enim, dilatāt, reuocant, accipiūt, retinent, expellunt, laxātq; cū opus est, pro neruorum situ naturaq; septi trāsuersi auxilio superne cōprimentis, primi attrahunt, postremi com-


primunt, medij vero cõtinent, quibuſuis tamen vulne ratis aluus difficulter cõprimit. Superiores rurſus qui ampliores ſunt, cibũ continent ne retro fluat, imi vero ne priuſq̃ opus ſit per aluum tranſmittat, verũ ſi quid ſucci adhuc ſupereſt, abſumi poſſit, cõſtituti ſunt. Hi obiter muſculi ab hac contemplatione non abijciendi ſunt. Ventrem indecorũ reddit hydropiſis, cuius ſpecies aſcites dicitur, ex qua extrahendæ ratio aquæ in alijs libris dicetur, locũ enim ad ilia verſus deligimus, vbi peritonei ſola fere nuditas eſt, ſuminis eni craſſitudo omnino vitanda eſt, cutiſq; digito dimouẽda, immiſſoq; cultello vſq; ad omentũ, quod primũ ſub p̃itoneo occurrerit, penetrandũ eſt (quod paracẽteſin vocat Paulus ęgyneta) nec id nimiũ audacter, ne temere inteſtina vulnerẽtur, tantũq; humoris colligendũ eſt, ne vires intermoriãtur, vitalẽ enĩ ſpiritũ is humor con tinet, demũ remiſſa cute, vulnꝰ per ſe obſtruit, atq; ita ſenſim ſingulis diebꝰ demit aqua, in qua re vires idoneo cibo tuentur medici.

De peritoneo et omento CAP. V.

His emotis p̃ter vmbilicũ, abdominis mẽbrana ĩterior apparet, firmiſſima eſt ne grauiori faſce, aut retẽto ſpiritu (qđ ſępiꝰ cõtingit) rũpatur, ſupra enĩ inguina id euenit vbi tenuior eſt, quæ ſi rũpitur, inguinis ſiue bubonis tumorẽ imitat, bubonocœlę dictę, quo decepti pleriq; chirurgi immiſſo ſcapello, cũ pus ſubeſſe putarẽt, inteſtina vulnerarũt, vnde odoris fœditas ſtatĩ ſubſequuta eſt, paucıſq; diebꝰ ęgri mortui ſũt, fœminis enim id malũ ſępius accidit, ea mẽbrana ad excremẽta flatuſq; cũ enitimur p̃pellẽda neceſſaria eſt. Laxat in fœminis mirũ ĩ modũ vterũ gerẽtibus, dorſo adalligatur. Huic venę quędã cõmit-

tuntur quę ad mãmas a partu ſtatim ad lactis generationẽ ſanguinẽ ex vtero deferũt, his cucurbitulas admouemus cũ lactis copiã inhibere volumus, ſub mãmis vero, cũ mẽſiũ abũdantiã timemus. Hac vero mẽbrana emota omentũ ſubeſt (ita enĩ ſpeciali⁹ dicĩt) vniuerſa pene inteſtina & ſtomachi inferiorẽ partẽ contegẽs. a medio enĩ ventre orĩt ac inde depẽdet, vnde cibi cõcoctionẽ veluti ſtragulũ iuuat. Inuenti ſunt qui ſine omento vixere, digeſtioni tamẽ ineptiores Galeno teſte. ex tenuiſſimis ab vtraq; parte mẽbranulis medio ĩnato adipe, nõ ſine arterijs ac venis exilib⁹, ex ĩteriori pte leue, et ſupiore molli⁹, ſẽſu alioq; ex toto caret, carnoſę dorſi mẽbranę ſcd̃m diaphragma ſeſe applicat.

¶ De inteſtinis & primũ de aluo. CAP. VI.


ABiecto itaq; omento, inteſtina inſinuatis quibuſdã giris longiſſima apparẽt, qui nõnullis animalibus a ventre ꝓtinus, recto veluti inteſtino ac breuiſſimo emittunt per aluum excrementa, ſicut lupi ceruarij ac mergi, propterea inſatiabilia habẽtur, ſępiſſimeq; aluũ deijciunt, qđ humanis actionibus maximo foret impedimẽto, intẽpeſtiuaq; fames ſẽp adeſſet. Inteſtina, excremẽta, hoc eſt materiã ſupuacuã, recipiũt, quorũ actiones vt tempus diuerſum habẽt, ſic etiã diuerſa loca poſſident vt Ariſtoteli placet. Iis neruoſa materia eſt qua recipiũt continẽt & expellũt & quicq̃d ſucci quod a ſtomacho ſupereſt penitus ꝑficiunt, nam & crenas habent quib⁹ ſuccũ coquunt et ĩmutant, ſtamineo vilo diuerſo, mõ aſtringũt, mõ laxãt cũ op⁹ eſt, ĩteſtina vim attrahẽdi manifeſtã nõ poſſidẽt, quoniã ſtamina ꝑ longũ obducta nõ hñt. ¶ Sed ab ĩferiori ĩteſtino hoc eſt aluo ordiendũ eſt, hæc ꝓs ita ſpãliter appellať ſuillæ ſimilis qua

excremēta ęduntur. Ab alijs longanon, ab aliquibus rectum inteſtinū dicitur, ſpyris nō circumplicatū, craſſioris inteſtini pars, in tenaſmo procidit, vnde ſedis procidentiā reuerētiores appellarūt antiqui. Extrema alui pars anus dicit̄ vel ſedes, Galenus ſphigetera vocat. Surſum verſus ad ilia extendit̄ aluus, reflectiturq; ad renem ſiniſtrū, mox ad ſtomachū, deinde ad iecur pertinet, minus q̄ reliqua inteſtina carnoſum, ad hanc partem venę quędā, ex meſſenteriacis perueniūt, quæ extremā ſucci portionem exugūt, ijſdem item ſi quid infunditur per cliſterem alimentū recipiunt ęgri, non nouo vt quidam putant inuento.

¶ De colo & cęco inteſtino. CAP. VII.

SVpra aluum collocatur colon craſſioris inteſtini pars. peruiū eſt ac late fuſū, cęllulis plurimis inſinuatū, in quibus excremēta diutius immorantur, indeq; quādam recipiunt effigiē, catocęliam gręci vocant, ab aliquibus aluū etiam vocari ſcio, reni ſiniſtro inuolutius ānectitur, vnde nephreticis co licisq; morbis dolores conſimiles ſentiūtur, abſtinētia tamen inter cęteras notas diſcernūtur. illos leuat, hos aggrauat cibus. deinde id inteſtinū lienem attingit, ſurſum verſus ad dexteram ſtomachū ſcandit, huius ob id inteſtini noxius humor os ſtomachi afficit & pręcordia. vnde lipothymia ſæpe concidunt ægri, in ſela aluum deijcientes, nec ſine ratione id inteſtinū inter inferiora annumeratur, etſi locum ſuperiorē obtinere videatur. iecori item iure proximū eſt, vt inde meatu ipſo ex folliculo fellis bilem excipiat, quo retrimēta eius mordacitate ad exitum pręcipitētur, ob id ea pars cui porus felleus committitur lutea eſt, ac guſtatu amara. Huic coniungitur quod cæcum cognomināt, a dextra

enim parte ſub rene collocatur iuxta coxā. cæcū ideo dicitur quoniam duo oppoſita orificia nō habet vt cętera. nam eodem quo excipit, etiam remittit orificio. eiuſdem cum ſuperiori naturę habetur, iiſdemqꝫ morbis vexatur.

¶ De tribus graciliorib9 inteſtinis. CAP. VIII

GRaciliora deinceps inteſtina ventriculo ānexa ſunt, quæ in homine lactes appellantur. Horum primum quod tenuius vocatur, in ſinus tortuoſos vehementer implicitum eſt & orbes, & inteſtino quod medium latini, gręci meſſenterion vocant, ſinguli connectuntur, in dexteriorē partem cōuerſi, & e regione dexterioris coxę finiti, ſuperiores tamen partes magis cōplent, & quia circa ilia poſitum habent, ilibus nomen dedere, a quibus ileon, et iliac9 dolor. At paulo ſupra verſus ſtomachum ad ſiniſteriorem partem ſpinę, inteſtinū eſt quod ieiunum nominant, nō ita vt reliqua implicitum. ieiunitaſqꝫ ei nomen dedit, quoniā nunq̄ quod accipit continet, ſed protinus per inferna trāſmittit, ſemper enim vacuum reperitur, hiraqꝫ ac hilla appellatur a quibuſdā. Quare igitur ex eo ita ſubito cibus labatur, eſt quia mordaci felle citatius redditur. Huic demū ea parua iunctura alligata eſt a media fere ventriculi ꝑte parū in dexteriorē partē cōuerſa, Pyloron gręci vocāt. Quoniā portæ modo, in inferiores partes, quæ excreturi ſumus emittit, cęteris inteſtinis arctius. Ad hanc portam fellis meatus pertinet vnus, eadem de cauſa. hæc. xij. digitorum menſuram continet. Inter ſecandum meatus ille cauendus eſt integerqꝫ oſtendendus.

¶ De meſſenterio, et venis eius. CAP. IX.


Essenterion(quod medium vel medianū latini dicunt) neruosum est, mēbranulis, glādulis pluribus refertum, quas adenes Galenus vocat, circiter crispum est, cui lactes in sinus (vt mox dictum est) tortuosos, adhęrent impliciti. vicinitasq; mēbri errorem dedit nōnullis qui lactes pro messenterio sępe dixerunt. In eo venarū fibrę a natura constitutę sunt, quę ab intestinis ad venā maiorem et ahortam pertinent. sine eo membro succus alioqui ab intestinis incōmode attraheretur(habent enim cui adhęreant venę) quę ceu radices in materiā intestinorum desinunt, nec transigunt, has messenteriacas vocitant medici, oppilationis sępe originem. septo transuerso alligatur & dorso, vel ex vena maiori & ahorta pendet, vt Aristoteli placet. vnde sanguinē et spiritum deferre certū est. venę ipsę solidæ duræq; sunt, a ventre et ab intestinis alimentum capiunt, veluti arborum radices, quę humorē a terra attrahūt, aluntq; stipitem, animalibus enim intestina & vēter pro terra sunt. Qui harum venarum orificia inter intestina ampliora putant in viuente, quę in cadauere delitescant, longe decipiuntur. arbitrātur enim ciborum frusta per easdem fibras tenuissimas attrahi posse, putantq; virginē ętate nostra Venetijs dū hęc cōderemus, quę crinalem acum quatuor digitorum longitudine, quam inter dentes dormitura continebat, incauteq; per somnū deglutiuit, per vrinā post menses. x. demisisse maximis cruciatibus, quoniā in vesica collectis viscosis humoribus lapidē circa sese inuolutū rotūdauit gallinacei oui magnitudine, & a venis pri9 messentericis acū haustā esse contendūt, nec quas vias inuenerit natura ignorāt. eæ fibrę in ipsis intestinis in neruos desinunt tenuissimos

ac in eorum materiã oblitterant̃, hic numeroſiores ſũt ac craſſiores, ijs q̃ a ſtomacho ad iecur ferunt̃, ideo pl⁹ alimenti cõferũtur. at ille citius defectis ſubueniũt. verum ſi oẽs vl̃ ex maiori parte lãgueſcũt vel obſtruunt̃, cõcitato fluxu ad miſerã maciẽ deformãt hoiem. His pactis inteſtina emouebis, folleq́ ſtomachũ in pylorõ iniecto inflabis. tũ viuentis ſtomachi ſimilẽ poſituram euidentius rep̃ſentabis. ¶De ſtomacho. CAP. X.


Ia quę ab oris faucibus ad ſtomachũ tendit gula appellat̃. ex neruo & carne conſtat, hac cibus potuſq́ in vẽtriculũ ſui receptaculum deriuãtur. Nam & cibi porta vocatur. medio enim ventriculo nõ annectitur, ſed in latere, ne capitis inclinatione, cibus ipſe facile redundet. Sicut & alterũ eiuſdem vẽtriculi oſtiũ (quod pyloron paulo ante nominauimus) in fundi medio nõ cõmittitur, ſed paulo altius, ne deuorata in aluum incocta citius q̃ opus ſit, delabãtur. Hac de cauſa in crapula ſeptum tranſuerſum plurimum ſupprimitur, nec tamẽ quicq̃ eſculenti euomitur. Hę geminę portę loco et magnitudine differunt, nã ſuperior amplior eſt, inferior ãguſtior. hac ratione, quia magis cõtrita a cõcoctione trãſmittere debet, Vẽtriculus inteſtinorũ pricipiũ canino ſimilis eſt, quippe qui nõ multo ãplior eſt q̃ inteſtinũ, ſed quaſi inteſtio ſimilis ãpliori ex Ariſtotele, ſub ſepto trãſuerſo circa p̃cordia ſua anguſtiori p̱te. os enĩ ſtomachi dicit̃, vbi. xiij. ſpinę vertebra inuenit̃, collocat⁹ eſt. cõcoq̱t enĩ & ĩmutat, pater familias vocitat⁹, quia totũ aĩal ſolus gubernat. nã ſi ęgreſcat, vita in ancipiti eſt. iter lienẽ et iecoris fibras ab vtroq́ latere cõpręhẽdit̃. ſupra infraq́ inter diaphragma & inteſtina medius poſitũ habet. hunc in anteriori parte omentũ, a poſteriori venę

grandes fouent. a ſuperiori parte in ſiniſtram vergit, ab inferiori in dextrã inclinat. ita orificiorum ſuorum ratio expoſcere videtur. ob id atram bilem in ſuperiorem ſui partem decurrētē certo meatu a liene aſſumit. in imã vero a folliculo fellis flauam bilem poro delatã accipit. Ventriculus in medio tumet ac pendet, qui mēbranis tenuibus, ſepto connectitur, lieni, iecori, cordi, cerebroq́ꝫ, venis, arterijs, neruis, vñ ex ictu capitis, ſępe ſtomachi ſubuerſio euenit. duobus tergoribus conſtat, quorum alterum intrinſecus neruoſum eſt ac craſſum, alterum extrinſecus carnoſum ac tenue. illud ſtamineum habet filamentũ, ines gręci vocant. alterum intus in longitudinem tendit, in appetendo deorſum trahit, alterum extra per trãſuerſum fila ducit vi retentatrice, quę cathectica dicitur, plurimũ neceſſaria. At exterior ventris tunica carnoſa ſtamineam venam in latitudinem protēdit, qua materia ciborum ſubigitur, et a digeſtiōe ſuperflua, dũ ſeſe aſtringit, ſecernere dicitur. huic potentiæ, apocritica nomen eſt. interior rurſus tunica tactus ſenſum habet, vnde cibi appetentia prouenit, exterior vero cibum potionēq́ꝫ mutat, ac cōfundit, ea vis a græcis allœotica vocatur, cui reliquæ obſequuntur virtutes. ¶ Stomachus intus denticulatus eſt callo in modum rubi ad conficiendos cibos decreſcentibus crenis verſus orificia, nouiſſima aſperitas vt ſcobina fabri. ab ijs fibrę, quę ob ſimilitudinē meſſentericæ dicuntur, oriuntur. quę inter venam & neruum naturã habent, a quibus (vt paulo ante dictum eſt) humor attrahitur, inde per maiores venas ad iecur tranſmittitur, ſed dum concoquit ſtomachus, nec ſui ignarus eſt, quoniam in fame ac ſiti protinus humorē attrahit, ac primus recreatur.

ℂDe adipe et pancreo. CAP. XI.

SEd anteq̃ ad lienẽ transeamus, pauca de adipe dicenda sunt. Hic sub leni mẽbrana abdominis situm habet, in obeso corpore ampliorem. Ab ilijs incipit, deorsum versus ad renes tẽdens. Ab interiori parte membrana includitur, quę omẽto iungitur. Is non cogitur, nec siccitate vlla frangitur vt seuum, quoniã eius natura minus terrena est. vtrunq; sine sensu, nam neruo arteria ac vena caret, ideo & plerisq; detractos adipes leuatũq; corpus immobili onere, traditum est, & inde vixisse. Pancreon quoq; inter carnes & adenes naturã habet. Lieni, stomacho & iecori annectitur. A carne nomen habet, ad quod communis cum omento vena pertinet, quæ ex vena maiori oritur.

ℂDe liene. CAP. XII.

IN sinistra parte aduers⁹ iecur, Lien paulo inferior, suillo similis habetur, purgamenti sanguinis receptaculum, eum humorem atram bilem nostri, gręci melancholiam dicũt. Hic non vt iecur pręcordijs, sed sinisteriori ventriculi parti et omento committitur. Gibbus ipsius dorso mẽbranulis alligatur, sed vt facilius appareat, costę inferiores quę tenuiores cernuntur (sub ijs enim conditur) aperiendæ sunt. Eius quidem materia mollis est, rara ac fistulosa, longitudinis crassitudinisq; modicæ, sed lienosis ita plerũq; intumescit ob humoris confluuiũ, vt zona veluti cingere hominem videatur. Cum sordibus (vt inquit Plato) iecur abundat, lienis raritas id purgat, et eas combibit. quoniam concauũ est & exangue, vnde purgamẽtis impletum excrescit, cursoribus (vt tradit̃) peculiare impedimentũ. propterea quãdoq; nõnullis

laborantibus ſplen inuritur. Adimi poſſe homini ſine vitę periculo veriſimile non eſt. Huic mēbro ꝓ magnitudine loci intēperātia attributa eſt. Iecori, ſtomacho, omento, & inteſtinis cōmittitur. Ad lienem ſicut neq; ad iecur nulla ab ahorta pertinet vena. Excitari turbā contra Ariſtotelem in pleriſq; locis video, rixaſq; moueri, ſicut et de vulua dicturi ſum⁹, quoniā ſine ſpiritali ſanguine hęc mēbra poſſe conſtare poſſibile non diiudicant, ea enim mēbra ſanguine aluntur a vena minori quę ſine ſpiritu non eſt, ſicut & vulua ſine ſanguine. Vena grandior directo ductu a porta concaui iecoris ad lienem ducit̃, quę ſi diligenter retegitur, apparet, ex medio eiuſdem venę curſu riuulus quidā eſt, qui ſanguinem dilutiorē deorſum verſus meſenterion vt alat ducitur. Rurſus eadē vena grandiuſcula iuxta lienem bifariā diuiditur, alter ramus pro alimento ad imum ſtomachū fertur, alter ad ſplenis cauū producit̃, vbi intus ī duos ramos ſpargit̃, ſurſum deorſūq; trāſeuntes. horum inferior ſanguine omentum rigat, ſuperior vero ex cauo lienis rurſus in duas diuidit̃ vias, quarum altera ad ſiniſteriorem ſuperiorēq; ſtomachi partem, altera ſurſum tendit ad vētris orificium, atramq; bilem infundit, qua os ſtomachi conſtringitur, vnde exuritio exorit̃. Reliquum in ipſo ſplene abſumitur, præter eam portionem quam vena grandis ad membra conſimilia tranſmittit.

¶De iecore CAP. XIII.

IEcur nobiliſſimū membrū eſſe putauit Plato, in quo diuinationis gratiā collocauit. quo priuato, nec euidens quicq̄ fit vaticinij ſignū. poſteriores vero phyſici ſanguinis originē huic membro attribuere. quod ſi validū eſt, aucto ſanguine au-

geri membra videntur, inualido decrescere non dubium est, si extenuata in nobis membra sunt, eo conualescente facile implentur. Iecur inter exta proportione maximum est, sub pręcordijs a dextra parte suspēditur, sanguine & spiritu naturali refertum, intrinsecus cauum, extrinsecus gibbosum, e regione lienis, ventriculo leniter prominens insidet, quem fouet, in viuente magis pendet. In eo multiplex vis est, nā attrahit, retinet, concoquit, digerit, & expellit. succū enim omnem in saniē, in bilem, ac atrā bilem digerit. Eæ potētię ex temperato cordis calore nutritiuę virtuti deseruiūt cōgenitę, ita vt & quę nutrit & auget virtus, eandem esse nō dubitat Auerrois. In quinas iecur diuiditur fibras, intus sensu carēs, fistulosum, spongiosū, foraminulentūq; est, minimisq; venulis per totū membrū nodoso coitu dispsis. vbi succus in sanguinē secūda cōcoctiōe commutatur vel in saniem, inde in diuersas partes digeritur. calidum enim est ac humidū, membrana tenuissima contectum, septo transuerso adalligatur, spinæ item ac stomacho iūgitur. Vena illa grandi plusq̄ cætera mēbra cordi respondet. huc ahorta non pertinet, quoniam primo iecoris ingressu euidētior esset, et per omnes distribuenda partes esset, sicut in pulmonibus apparet. a corde enim vitalis vis per venam maiorem in iecur infundit vt dictum est. eadem enim via recipit, ac subministrat humorem. Ex inferiore parte caui fel dependet. in eadem parte caua ex diuersis locis quidam venarum concursus est, qui porta iecoris dicitur, ductuum viarumq; veluti compitum efficitur, quibus succus is quo alimur permeat, statimq; intus in quinos riuos diffunditur, & in ꝑtenues venas, quæ deinde per totam iecoris dispersę substantiā, in exilem

ſubtilitatem admodum radicantur, demumq; in iecur ipſum oblitterantur, his tenuiſſimis fibris ſanioſus ſuccus decoquitur, ac in ſanguinem(vt multi volunt) iecoris miniſterio calore vertitur, qui demũ in corde penitus abſoluitur.

¶ De venis Iocineris CAP. XIIII.


Enæ octonæ ad portas Iecoris deriuant, ex quibus binæ paruæ ſunt, quarum altera ad pyloron & ad meſſenterium pertinet, altera inferiori ventriculo iuxta pyloron coniungitur. Reliquę ſenę ſunt, ex quibus vna ad dexteriorem ſtomachi partem iter tendit. Secunda ad lienem grandior pertingit. Tertia inteſtino recto iungitur, in ſiniſteriorem enim partem decurrit. Quarta ad dextram ventriculi partem, vbi in tenues fibras diuiditur. Quinta duplici propagine. altera omento applicatur ſpargiturq; e regione illius rami qui a liene oriri cernitur. altera propago craſſiori inteſtino adiungitur, qua ſucci reliquię attrahuntur. Poſtrema ad ieiunum inteſtinum ac tenue, & ad id quod cęcum appellauim⁹, pertinet. ad quã euidentius pleręq; venæ ad ſuccũ exhauriẽdũ cõtẽdũt. ¶ De flauę bilis folliculo CAP. XV.


El non habent omnia animalia, equo, mulo, ceruo nõ eſt, & ex eodẽ genere ſunt quę partim habeant, et partim non habeant, vt mures, oues, ac homines. Et qui fellis naturã (inquit Plato) ſenſus alicuius gratia eſſe opinantur, nõ recte ſentiunt, volunt ideo fel adeſſe, vt partem animæ ſitam in iecore mordacitate ſua excitet, laxando exhilaret. Folliculus flauę bilis ex inferiore iecoris parte caua dependet, choledochus a gręcis dicit. in eo humor flauus eſt, pallidus interdum viſus a Galeno vel cya-

nęi quandoq; coloris vel iſatis herbę vario corporis affectu. in cadauere colorem omnino mutat, in viuente flauus eſt, ex iecore oritur, vt puriorem pręſtet ſanguinem. Huic bini meatus ſunt, alter in medium iecoris deriuat, quo bilis attrahitur vel effunditur interdum. alter euidentior ad pyloron defertur, in quo meatu calculus olim repertus eſt. ex eodem rurſus oriri traditur qui in imum ſtomachum tendit, quod alij negant. Sed hoc non perpetuum eſt. omnium maximus, ad inteſtina producitur, quas lactes appellauimus. Quibus fel non eſt, valetudo firmior exiſtimatur, ac vita diuturnior, bilis alioqui via pręcluſa morbus regius (qui ictericus dicit̃, ab alijs arquatus) ꝓuenit. nam toto corpore felle ſuffuſo naturalis color aufertur, quod primum oculis depręhendimus. ita quod in ijs album eſſe debet, luteum fit. febres quoq; ſuperueniũt. Inteſtina hactenus magna ex parte indicata ſunt, idcirco omnia pręter iocineris gibbum quod venę grandi annexum eſt, relicto ventre abijcienda ſunt.

¶ De renibus. CAP. XVI.

HIs peractis binę venę grandes ſecundum ſpinam a ſummo deorſum deferuntur, de quibus poſtremo libro agendum eſt. vena grandis in renum oppoſito geminos ramos emittit in. λ. litterę figuram, quorum alter ad renem dextrum, alter ad ſiniſtrum tendit, in ęquali tamen longitudine, eodem modo et altera vena grãdis facit, ahorta dicta, ſpinę ãnexa, quoniam dexter ex renibus minus pinguis, altior leuo eſt, quod pari ratione in ſupcilijs contigit, rami venæ maioris in ſinus renũ nõ deriuant, ſed capitibus potius adhęreſcunt, & cauum nõ ſubeunt, verum in corpus eorum abſumuntur, ſicut et

ahorta, ex quibus genitale ſemen magna ex parte generatur. Oblõgi ſunt, bubulis renibus ſimiles, veluti e multis renibus compoſiti, a parte interiori reſimi, ab exteriori verſus inteſtina rotũdiores. caro ijs dura ac firma eſt, ſenſu carẽs, vtriꝗ adeps e medio exit. Renes in longitudinem ſecandi ſunt, & ſpecillo immiſſo collaturę ratio cõſideranda eſt. in medio pellicula eſt pręte nuis, qua humor duntaxat ſine ſanguine diſtillat per meatus ſiue venas albidas, vretras dictas, quæ cauæ ſunt, neruoſę, iuxta ſpinam ipſam per venas ſe porrigunt ad ilia, anguſto itinere mox in coxam vtrãꝗ condũtur ac deliteſcũt, deinde denuo porrectę in clunes apparent, verum vt ipſarum poſtrema, vel in ſexu virili ad veſicam, genitaleꝗ cõijciuntur, ſic in fœmineo ad vuluã pertinẽt. Eę venę quę de medio renum exeunt nichil cõmune cum vena maiore ſortiũtur. Renes membranulis integuntur quibus ſentiunt, calculo laborant, quia multi renes laborare videntur, duplices conſtituti ſunt, vt ęquale corporis libramentum Galeno authore animalibus preſtarẽt. ex ſuperabundanti calore, incontinentia, & vrinę ſtillicidia ſequũtur. In meatibuſꝗ, arenę materia, ac calculi generantur.

¶ De venis ſeminarijs CAP. XVII.

SEminarię venę geminę ad capita teſtiũ a renibus deueniunt, pori dicti, ſanguinolẽti, totidemꝗ arterię de vena ahorta exangues ꝓtenduntur. nam in coitu ſpiritus, ſemen antecedit, quo procul per ſalt⁹ propellitur. a capite autem ipſorum teſtium meatus excipit, ſpiſſior illo ſuperiore atꝗ neruoſior, qui ꝓgreſſus ꝑ teſtẽ flectit ſeſe, inde et caput eiuſdem repetit, vnde rurſus in idẽ coeunt, & in ꝑte priore ſubeũt genitale, paſtatę dictę, cõmuni exci-

piuntur canalicula, et continua membrana obuelantur, cum ijs qui reſident teſtibus, vt vnus eſſe meatus videantur, niſi mēbranam ſenſim diduxeris, humorē enim ſanguineum continet meatus qui reſidet, ſed minus q̄ illi ſuperiores. at vero qui reuertuntur, & ceruicem ſubeunt, genitalem vrinam habent cādicantem. quin etiam de veſica meatus profertur, & ſe ad ceruicē applicat, quem veluti putamen canaliculatum ambit, id quod penem vocamus.

¶ De ſemine. CAP. XVIII.

SEmen corporis ſupuacaneū alimentū eſt, qđ pricipaliū membrorū materia pura atq; abſoluta eſt, generatiōi neceſſaria. Nā et maior gēiture q̄titas ex cerebro (Galeno teſte) diduci creditur, ob id ſalaciſſimo cuidā, diſſecto poſt funus capite, cerebri exiguū repertū eſt. venę enim quę vltra aures ferunt̄, ſi adurūtur vel ſecant̄, ſterilitatē iduci miro atq; ſecreto naturæ limite, vt mox dicemus, qđ caſus edocuit. idē ex alijs quoq; mēbris cōtingit, nā multi qui gallos caſtrāt, lūbos cādenti ferro, aut crura adurunt, vnde ex toto corpe ſecerni geniturā pleriq; autumant, varijs argumētis. Illud iprimis fidē facere videt̄ qđ filijs notā, neuū vel cicatricē parētis ſimilē regnari, niſi qđ et nepotes pgenitorū referūt et formā et notas ex quib⁹ nichil ſeceſſit ſeminis. Elidę q̄ cū ethiope cōcubuerat, nō filiā pepit ethiopē, ſed nat⁹ ex filia, ethiops erat. Vidim⁹ ēt ī ſtirpib⁹ id fieri, nā cydone mal⁹ medica plurima eſt, q̄ ad priapi ſimilitudinē poma fert, ex eis ſemina q̄dā eādē formā referūt, alia cōfuſā, ex qb⁹ ſemina ſata eādē quoq; turpitudinē repn̄tāt auitā pōa enata. Semē hoi in pria ętate validū eſt, ſenectute, valetudine, ſalacitate, ipurū eſt. itrinſec⁹ ex loco calido pſi

ciſcitur quoniã craſſum refrigeratũq; humeſcit, ſpiritus & aquę mixtione, ob id & albũ ſpirituoſumq; redditur, quod neq; coit, quoniã ex ſpiritu eſt. Ex corde quidẽ per arterias, ex iecore per venas, & ex venis arterijſq; cerebro deſcendẽtibus ad mimas circa lũbos, deinde venas ac arterias mimas ingreditur, et in conceptaculis mature in ſanguinis ſubſtãtiam concoquitur, inde ad maiores ac ampliores venas deferẽ, vt ex ambabus vnũ vas ſingulis teſtibus cõſtitueretur ſpiritibus plenum, in quo illa generãdi vis recipitur, quod alij teſtibus attribuunt. ex qua generãti ſimile alterum producitur. Nõnulli vero naturali calore ſeminis ꝓlifici, materiam inter eos meatus ſicut et in vtero ſenſim veluti ſudorem colligi aſſeuerãt, vt vaſa terrea inania obturata in mare demiſſa aquã dulcẽ intra ſe accipiũt, vel catarticis ad ſtomachũ vel inteſtina, vel ex pulmone malos humores ſine certo venarum meatu reſudante intus materia miro naturę opere euocant.

¶De teſtibus CAP. XIX.


Eſtes didymi appellati ita ĩ homine pẽdent vt impetus rei venereę magis ſuſtinerent, minuſq; proni fierẽt. His plurima eſt voluptas, vt Alexander Aphrodiſieus refert, quoniã ab ictu percuſſi magnopere dolent. ijs exectis tota fere virilis forma ac habitus corrũpiẽ, fœmininiq; fiũt. nam vires, audaciam, mores, vocem, barbamq; amittunt. Hos ſeminarij meatus ambiũt, nec ingrediũtur, vt quidã falſo prędicant. verum (vt Ariſtoteli placet) motum excremẽti genitalis ſtabiliorẽ faciũt, nichil gignente ſine ingentibus cauſis natura, nam replicationẽ dũtaxat ſeruãt eo argumẽto. Quod taurũ aliquãdo exciſum vaccam protinus inijſſe, nondũ retractis

meatibus progeneraſſe traditum ſit.

¶De ſcorto CAP. XX.

DYdimis proprium velamentũ ac munimentum eſt ſcortũ, gręci oſcheum dicũt. dependet ab inguinibus, rugoſum, venulis diſperſum, ima ſui parte ſutura cõmittitur, quę tamẽ aliquibus non eſt. Id ſi tumet vitio indecorũ vocatur, de quo in libris quos de omnibus morbis qui mẽbratim ſentiuntur expoſuimus. herniã nominant. At intus tunicę ſunt, quę teſtes velant, per ſingulos neruos depẽdentes, quos cremeſteras gręci appellant, cũ quorũ vtroqꝫ binę venæ ac arteriæ deſcendũt, quas paulo ante indicauimus, quæ tunica integũtur tenui, neruoſa, alba, ſine ſanguine, ſupra quã altera eſt valẽtior membrana, quæ interiori vehementer ima parte inhæret, edarion gręci vocãt, multę deinde membranulę venas & arterias eoſqꝫ neruos compręhendunt.

¶De pene CAP. XXI.

INguini deinde coles ipſe cute veluti annexus dependet, cęteris mẽbris magis neruoſus, arterioſus, venoſuſqꝫ videtur, neruis durioribus et neruoſis connexionibus cum pectine committitur, nerui alij ab imæ ſpinę medulla deſcendũt, cęterum id membrũ minoris ſenſus eſt. Vidimꝰ olim chirurgum quẽdam impium ex iudęa gẽte vnum ex ijs neruis ob inflãmationem extraxiſſe, ſingulis enim diebus a radice paulatim cõuellebat, quem tãdem letaliter extirpauit. Membri extremũ glans eſt, tenuiſſima cõtecta cuti, quę vim ſenſificã a ſuperioribus ſpinæ neruis habet, venereæ voluptatis ſedes, vñ venę ſeminarię peculiari titillatu concitãtur, in medio quędã ſpongioſa inanitas eſt, quam cũ cupidinis ſpiritꝰ ſubit, tentiginem

facit. excitari quoq; vel in morte ab ictu phalangij au=ctores tradunt. Alter item ductus est incertus (vt qui=busdam placet) in pubertate quidam lētor inde trans=mittitur, ad geniturā veluti rudimentū seminis. Glās imo circulo ambiente finit, a vertice ad imum frenum ducitur superiore rimula, quā vretram vocāt, recremē ti liquidi, ac seminis exitus. Quod integit, pręputium dicitur. hoc iudęa gens reliquumq; fere pluribus iam ætatibus genus humanum pręter christianos ex lege circuncidit mundicię (vt dictum est) causa, quod post=ea ad sacra refertur. Penis cutis qua integit, non sim=plex est, sed neruosæ naturę, sensumq; tactus plurimū possidet. Ob eam causam venereo cōtactu, nouus vel saltem medicis ignot⁹ prioribus, siderū pestifero aspe=ctu morbus gallicus ad nos ex occidēte, dū hęc ędere=mus, irrepsit, tanta omnium membrorū fœditate cru ciatibusq;, nocte p̄sertim, vt lepram alioqui insanabi lem siue elephantiasin horrore superet, non sine vitæ pernicie. Hęc pestis reliquas prouicias iam infestauit, quę etiam præsanatis facile repullulat, magna omniū medicorū ambage. Ex occidente venere emperici, qui magno questu vrbes circuierūt, id tantū profitētes,

¶ De vesica et eius meatibus CAP. XXII.



Enę vretrę dictę albę ad vesicā (vt supra me=morauimus) ferūtur ea parte qua duplici mē brana constat, quarū altera peruia est, et in=ter tunicas vrinans humor pręterfluit donec ad interioris pelliculę foramē pertineat, & in vesicam cadat. hi enim meatus non oppositi sunt, quoniā vesi=ca repleta vrina ad renes retrofluere cogeretur inter=dum. sed ea quo magis impletur, eo magis membra=næ dictę se comprimunt. Et ita recrementum id liqui=

dum continent. ex quo vnū tantum meatum quo excernimus imperiti habere arbitrātur, simplicē esse vesicam ex omni parte putātes. Ea neruosa est, aliter viris atq; fœminis posita, nā in illis iuxta rectum intestinū potius in sinistrā partem inclinata. in his supra ora genitalia constituta est, superq; elapsa ab ipa vulua sustinetur. Duo item meatus ab ahorta validi & perpetui ad vesicam procedunt, nullusq; a vena maiori huc tendit, qui vero de cauo renum veniunt, cum vena maiore continuatam nō habent materiā, vt supra a nobis dictum est. Vesicę vero ceruix carnosa est, musculis referta, quibus humor cōtinetur, atq; laxetur, cū opus est. Incisa sola coalescit, reliqua pars coire nō potest, quod ediuerso contigisse refert Aristoteles. In masculis vrinæ vię longiores atq; cōpressiores, ad imū vsq; colem descēdūt, in fœmineo vero sexu breuiores plenioresq;, cōmuniq; demū via ad vuluæ ceruicem se ostendunt, quapropter mulieres calculis minus afficiūtur, in vesica pręter calculos setarum veluti quędā capillamenta nō sine diro cruciatu innascuntur ex mucosa equidem materia. Quibus modis extrahi lapides cōueniat, ne chirurg⁹ loci errore letaliter ægrotis vulnus inferat, cultello locus aperiēdus, indicandusq; modus est. Aliquibus quędā in vesica cōcrescūt, q̄ nichilo a cōchilijs ipē differūt. sed iā ad mulierū peculiaria mēbra trāseam⁹.

De mulierū meatib⁹ seminarijs CAP. XXIII

DE fœminarum genitalibus membris, ac venis seminarijs hoc in loco dicere par est. Venæ igitur humoris, quem prolificum plerique medici prædicant, eandem ferme in fœmella, quam supra diximus in viris, originem habent. ac flexuosis orbibus in testiculos deri-

uant.inde ad vuluæ ostiũ tendunt, vnde semen tanta voluptate prorumpit. quod vanũ atq; inutile philosophorum princeps Aristoteles asseuerat, cui et arabs Auerrois subscribit. verumtamen fateor ex renibus spina, coxis, lũbis. Venę, ac arterię multę quę sparsim funduntur in fibras per vuluã tenuissimas tendũt, ex quibus genitalis humor, crassus, albus, oui albori simi lis intus colligitur (vt bilis quotidie in stomacho) ad cõ ceptum necessarius. quod in ouis contingit, in quibus quod candidũ est, ac luteum a fœmina prodit semine maris tantũ constituente. ex ea materia membra quæ spermatica vocamus, generantur, at ex mensibus rubentia qualis caro est nutrienti similis fiunt. Aristoteles de piscibus hęc refert, ouo autem rupto, fœtus veluti nucleus cõstat, qui primũ nullũ accipit cibum, sed oui humore iam hausto increscũt, post nutriunt aquis dulcibus fluuiorũ vsq; dum satis augeãtur, idẽ author an id verũ nõ dicitur, alimentum omne esse extrinsecus, sed protinus vt in plantarũ seminib9 inest aliquid tale primum quod lacteũ vocatur, sic in animaliũ materia excrementum cõstitutionis alimentũ est, incremẽ tum vero fœtui per vmbilicũ contingit, eodẽ quo plã tas modo per radices, atq; etiam animalibus ipsis vbi absoluta iam sunt, ex eo qđ continetur alimento idem accidit. At quod fœminis in venere prorumpit nõ per saltus exit sicut virile, quoniam inutile est et viciato simile, omnino differens ab eo quod intra vuluã sine libidine quãdoq; restagnat. Ex vtrisq; itaq; maris et fœminę fœtus mẽbra figurantur, ac spiritalis vita ꝓducitur. verum ex virili semine principalia mẽbra, ex fœmineo cętera ignobiliora cõstituuntur, ex puriori veluti materia, sicut et spiritalis vigor. Maris enim semẽ in

medio genitalis fœminei alboris colligitur, vt generandi poteſtatē in materiā vniuerſam diffundat, ex Galeni ſententia, atq; ita mēbra formantur menſtrui ſanguinis adhuc nō indiga, donec exhauſta materia maiori corpus indigeat nutrimento, qđ ex vmbilico poſtea q̃ritur. a cōceptu eni ad. vii. vſq; diem ſeminis ꝓlifici fluxiones ſimplices apparēt, quo tēpore & vmbilicus inchoare, & ſecūdę videnť. x. die cordis bulla tumet, ſpiritu intus ebulliēte, et calore extrinſecus exiccāte, ſecūdarum materia firmať, quoniā & planta & cortex eodem generātur tēpore, poſt eos dies cętera mēbra deſcribuntur, nec vno tēpore principalia generātur membra, quoniā diuerſę ſunt naturę. Cor enim primū ꝓgenerať, exinde reliqua deſcribunť mēbra. poſtremo replentur pictoris imitatione. circiter diem. xxx. maſculina figurantur mēbra ex Hippocrate, alij tamē inter quos Ariſtoteles, mari. xl. diē ſtatutū pronūciauit, fœminę triū menſium vel poſt, quoniā figura in humido poſt abortū nō permanet, ſed ſtatim diſſoluitur, mas ſi in aquā frigidā diffūdiť, cogitur cōſiſtitq; in mēbranula, qua rupta fœtus ipē apparet magnitudine formicę maiuſculę, & mēbra iam inde diſcreta, tū cętera omnia, tum genitalia cōſtant, & oculi vt in cęteris animantib⁹ ꝑgrandes. Eadē de cauſa ceruinū vterū olim reſecauim⁹, in quo hinnuli fœtus, minimi digiti lōgitudine ex omni ꝑte figuratus, vel maxime ceruo grandiori reſpōdebat ꝑter oculos qui grādiuſculi erant, vulua humoris albi lenti plena, oui anſerini amplitudine, mēbra q̃ tenuiſſima ambiente, in medio humore ſublimis pēdebat hinulus, ex cuius vmbilico capillamētaris tenuitas ſanguinea ad cutē ambientē cōmitti videbatur. alimenti ꝓximū initiū, albugo illa quā fœmini-

num ſemen fuiſſe cōtenderim,nō ab re a natura ī vte-
ro continet̄,ſine ſanguis menſtrui nota,verum primas
partes ſuas agit,quoad maior fiat fœtus. Teſtes in fœ
minis ab vtraq; parte reſimi ſunt,leporinis ſimiles,ex
quibus(vt alij arbitrātur)meatus alij ad vuluę cauum
exeunt generationi apti,quæ ſententia reſectione ipſa
facile oſtenditur.

¶ De mulierum locis CAP.XXIIII.

OStium vuluę in muliere,ac in cęteris anima-
libus,naturā atq; os genitale vocari vidim⁹.
in medio tunicula vtrinq; apparens, nym-
pha,& cletoris dicit̄. Ea itus natura ita cuſto
ditur,vt in maribus glans pręputij tergore, vt hoc pri
mo munimento aer arceatur. Interior pars ceruix vo-
catur,in cuius medio fere neruoſa exilitas eſt, venulis
diſperſa tenuibus.virginitatis teſtimoniū affert,eugio
vel hymē vocant.primo eni coitu ſcinditur. Naturalia
interdū adeo cōpacta ſunt a natura,vt chirurgi opa ī-
digeat. Partē interiorē matricem,locoſq; appellamus,
qui deſiderio coitus ſæpe deſcendūt,in ijs quę acetabu
la ſunt dicūtur. Quibus p vmbilicū fœtus auget̄ vulua
nullā vim imutandi ſeminis,ſed cōſeruatricē tm̄ poſſi-
det. locorū oſtium internū natura glādoſū eſt, ad glā-
dis virilis ſimilitudinē mucronatū,foras in ceruicē pro
minens ſuo turbine. In ceruis triplex oſtium eſt.ob eā
cauſam grauidę(quia dolēt)coitū refugiunt, mulieres
vero adamant, vnde et quādoq; ſupfœtāt. Vuluę ace
tabula nō omnia pfecta animalia poſſident,ſed corni
gera & vna parte dentata,dū partū gerunt.ex vtraq;
parte dētatis lepus,mus,veſpertilio habēt acetabula,
Sus vuluā leuem habet,et conceptus vuluę non aceta-
bulis adhęret,ſemen itaq; trahi a locis vteri,atq; ob eā

rem multa generari pro numero locorum, & acetabu-lorum. ſępe enim eodē in loco vteri, gemini conſiſtunt. Acetabulis vuluæ ex ſecundis robuſlior adhæret ea parte qua cōfuſa quędā fibrarū multitudo eſt. Vmbi-lici orificia acetabulorum orificijs reſpondēt, vnde ali dicimus, aſperitas enim vtrinq; fibrarum orificiorūq; tenacitatem facit, vt in parietibus fieri ſolet, ſcalpunt enim prius vt cementum ſuperinductum magis hęre at aſperitati. Vmbilicus cū inuolucro, hoc eſt ſecūdis, functus officio ab acetabulis abſcedit, vel vti pomi pe-diculus iam maturi a ramo ſponte cadētis. Ex ijs ace-tabulis a partu mēſtrua profluunt. ſimilis in maribus materia eſt quę in ſemen genitale per concoctionem vertitur. Mēſtrua de quibus mox dicimus, cum plu-rimum lunæ motu ſingulis menſibus profluunt, quo profluuio virginibus vox mutať. vt in maribus primo coitu. māmę inde tumeſcūt. Homini vmbilicus dū na ſcitur maior eſt q̃ in cęteris aīalibus, quo tēpore alimē tū nō reddit, ideo venę, arterięq; circū quas tunica eſt cōprimūt ſeſe, & ob eā rem puerperij exitus oportune fit, nā in homine deligari oportet. quia imꝑfectior edi tur ꝑtus, bruta vero robuſtiora, q̃ ſtatim ꝓſiliunt. na-ſcunť. Locorū oſtiū in cōceptu aperitur, et exinde clau ditur, nec amplius recludiť niſi mulier ſuꝑfœtet, vel flu xionibus laboret, vel ſi menſes fluāt, os id adeo occlu-ſum eſt, vt aer ſubire nequeat. Loci ipſi poſiturā habēt inter ſpinę imę partē, quā os ſacrū vocamus, ſupra ve-ſicam, cōtra mediā poſiti aluū, inde paulū ad dexterio rem coxā cōuertunť, poſtea ſuper rectū inteſtinū pro-greſſi ilijs, fœminibuſq; latera ſua annectunt. rectā cū veſica, continuatamq; ceruicem habent, quem cana-lem vocant, qui ceruici veſicæ ſuppoſitus, carnoſus,

chartilaginosusq; admodũ est, is in ꝑgnãte cõtrahit̃, vulua in virgĩe exigua est, in muliere, nisi vbi grauida est, nõ multo maior q̃ manu cõpręhẽdi possit. Ea, cordi, arterijs, neruis, cerebro, spinęq; medullę cõmittit̃. ꝑcordijs itẽ, mãmis, renibus, ventri, ilijs, coxis, pubi, q̃ omnia in vuluę strãgulationibus ꝑcipiunt̃, quibus anima subducit̃, vertigines sentiunt, capillos in vertice vel occipitio cõuelli arbitrant̃. lũbos ꝑterea, femora, iguina, et stomachũ dolẽt. gula itẽ miro modo tumet, euidentiori in viuente argumẽto connexionis, ea vincula in mortuis languescunt. Id alij cęteris vaporibus attribuũt, quos vulnerata statim vulua coarguit. In qua re oculos maxime dolẽt, quędã obmutescunt, aliquibus mẽtes soluũtur. Ilijs pręsertim adalligat̃ neruulis quibusdã retortis, qui grauidis ꝑtendũtur. Nulla vena de maiore, recta via ad vuluam pertinet. de ahorta vero multę frequentesq; veniunt, eius materia neruosa est, rugosa, peliculosa, pollicaris crassitudinis, quę ad conceptus magnitudinẽ extendi possit. Qui eo tempore acetabula vulуę inquirunt ad magnũ vulgi desideriũ, digna frustratione frustrant̃. videri enim minime possunt, nec primo conceptus tempore, quum inuolucra (quę secundas vocãt) robustius vulуę adhęrent. Tum enim euidentius membrana valentior per vmbilici radices acetabulis, quæ cotyledones græci vocant, committitur. quales in polyporum cirris videmus, qui suctu cum aliquid capiunt, continẽt. Hæc accrescẽte fœtu conspicua, prope partum minuuntur, ac demum abolentur, hæc conuexo suo coniuncta sunt cum vtero, cauo autem ad fœtum conuersa ex Aristotele. In ipso inuolucro ex secundis quædam carnosa extantia fibris referta minimis acetabulis affixa, quæ

sanguinem et spiritum veluti radicum fibrę exugunt, digeruntq; per venas, & ad vmbilicum vsq; defertur sanguis, spiritusq; per quem alimētum haurit foetus. Gemini matrici sinus sūt, ab vtraq; laterum parte leuiter discreti (in dextra masculinum, in sinistra foemininum concipi volunt) geminis in mare testibus respondentes, in vacca veluti cornua plurimū discreta sunt.

¶ De mensibus CAP. XXV.


E mensibus mulierū pauca dicenda restāt, ac eorum origine. ij. non nisi semen incoctum ab Aristotele appellantur, ex partibus quæ supra infraq; renes sunt, & a lumbis, minimis venis prodeunt ad vuluæ acetabula, quibus foetus in vtero alitur (vt sępe dictum est) vel a puerperio iuxta naturalium ora. ex venis quoq; duabus secundum os pubis iuxta vrinę exitum erūpunt. Ex ea parte & foeminarum non prolificū semen in coitu (vt dictum est) effunditur, tanto in plerisq; impetu vt masculorum more lōgius exiliat, diuersę equidem naturæ ab eo quod in vuluę cauo prolificū restagnat, vt supra latius cōmemorauimus.

¶ De ano CAP. XXVI.


Lui exitus anus dicitur, vbi musculi sunt, quibus astringitur cum opus est, aut laxatur. inibi venarū ora sunt tanq̄ ex capitulis quibusdam surgētia, quę sępe tetrū sanguinem fundūt, sicut e naribus, hæmorrhoidas græci vocant. eo profluuio purgationis vice vtūtur, nec valde imbecilliores ob id fiunt. ideo importune quidam curati, cum sanguinis exitum non haberēt, inclinata in pręcordia ac viscera, dira illa materia, subitis ac grauissimis morbis correpti sunt, in eadem parte quæ corona est et sedes dicta.

cōdilomata inaſcunť tubercula quędā, q̄ nūc dura, nūc mollia, quę ex inflāmatione oriri ſolent. Verū ſi vetera et iam induruere, medicamentis cauſticis interdū adu runtur. Mariſcę item & rhagades anum infeſtant cute circunciſa. Hos morbos laſciua luxuriæ procacitas, & æſtuans libido facit, nō ſine naturę & maieſtatis diui nę iniuria, & vtriuſq; lege calcata vitiorū inuētrix libi do, que neglecta natura, diuerticula quęritat, hoc eſt genus humanū perdere. Vtinā eorū parentes eam dū taxat venerē nouiſſent. Anus ſicut & vulua procidit, quā ſedis procidentiā vocamus vel ſedē conuerſā, quā ſtypticis retroagimus, vlcera itē & fungi, ſimiliaq; in naſcuntur, quę aduri ſolent. Hactenus de interaneis quę ſub pręcordijs poſita ſunt, narrauim⁹. Nūc ad ea quę ſpiritalia vocantur, tranſeamus.

In librum tertium anatomices.

¶ Alexandri Benedicti phyſici de mēbris ſpiritalib⁹ quę ſupra p̄cordia habentur. Prefatio. CAP. I.


SVpra diaphragma, cor pulmōeſq; col locauit natura, vbi (vt inquit Plato) au dacia, metus, fuga, cōſultores amentes ſedem quādoq; poſuere, cū implacabi li ſępe iracundia. Amor itē intrepidus inuaſor, blanda ſpe ſocia, caſtra fixere. Quę ſi p̄uerſa fuerint, voluptatem malorum ſeminariū, & dolorem ſubinde parem conſueuerunt. At ſi fortitudo ediuer ſo omnium contemptrix mentis bonę filia, cupidinis et voluptatis iuſſa contempſerit, vbi animus forte pal lore terrētium obiectu pertimuerit, ſanguis et ſpiritus venarum numeroſam veluti ſtipatorū legionē ad im

perata subito accurrentē citat. tum celeriter metu discusso sua potētia animi fortitudo vtitur. Pari modo si irę vis exardescens ex improuiso permiscet flagrantes astus, pulmonū cum cauis fistulis spiritus respiratione cordis crebra refrigeratio cōtinuo temperat ratio, vnde iracundia alioqui implacabilis facile resedit, cui in hostes voluptates, & cęteras animi ꝑturbationes potestas data est sapiētibus, qui animi fortitudine & corporis patiētia libero marte eminus librata tela alacres excipiunt, & cominus incussos in cordis penetralia grauiores ictus irę aut odij propulsant inanes. In his tota philosophia versatur ac totū bene viuēdi dogma moratur sedibus. Huic leta fœlicitas originē ducit, huic mortis terricula abigunť, atq; ad diuina mens sublimis penetrat arcana. Ad has partes hac nocte in hoc ipso theatro pręsentes esse volo senatores meos sapientes ex patricia gente Veneta, Bernardū bembum, Antonium Boldū æquites. Antoniū item caluū triumuirum, Petrum priolum senatorem, qui mecū diuinam cordis officinā contemplentur, & arcana naturæ perquirant, iam perspectis & compositis reipu. rebus, & domum fessi, sed hilares abeant.

¶ De membris spiritalibus. CAP. II.

SPiritalia membra inter caput & ventrē sedē obtinent, nam & cor (cuius gratia omnia constant) in medio eorum collocať, natura enim rem nobiliorem locis nobilioribus cōstituere solet, verū potius superius q̄ inferiꝰ, ac in parte priore q̄ posteriore. Potiusq; ad leuam q̄ ad dexterā nō sine rōne collocatū est viscerū principale mēbrū, qđ in omnibus aialibꝰ conspicıť. Nā cor caloris officina est, vitę

mentis ꝓ origo, sãguinis spiritusq; principium. Omnium enim partiũ primũ, sanguinolentum cõspicitur, vt in ouis triduo incubatis puncti magnitudine apparet. Formato corpore ꝑtinus quasi alterũ intus aĩal palpitare sentitur. thoracis ps suꝑior pect⁹ dicit̃, inter lacertos homini constitutũ, latũ, cordis & mãmarũ ratiõe, costarũq; crate cordi munimẽtum. Sed ab eo primum mẽbro, quo ignobiliores a nobilioribus ꝑtibus diducunt̃, dicere incipiamus, hoc est a septo trãsuerso. Demum mẽbra quę ore ipso cõtinẽtur (quia huic parti & ventri accõmodata sunt) ordine dicentur.

¶ De septo transuerso. CAP. III.

SEptum trãsuersum sub pulmone collocatum est, cictum alij appellãt, veteres (quoniã cordi prętenduntur) p̃cordia dixere. diaphragma alij, Plato vero phrenas, ceu prudentiæ participes menteq; cõiunctas, vnde quidã mentis subtilitatem accipi putauere, ideo ei nulla caro est, sed neruosa quędã exilitas, in medio p̃sertim, quę valida est. costis inferioribus & spinę, vbi. xij. vertebra sita est, annectit̃. sedẽ cordis a ventre & ab intestinis dirimit, vt vitę origo alui vicinitate excremẽtisq; inoffensa seruet̃, neve ciborũ vapore animus supprimat̃. hac de causa p̃cordiorũ interuẽtu, quasi pariete, distinxit nobiliorẽ ab ignobiliore parte. Hęc si pleniora essẽt carne, maiorẽ vaporis copiã & haberẽt et attraherẽt. huic titillationis origo, nã sol⁹ homo titillatũ sentit inter aĩalia, qđ cutis tenuitate euenit, vnde solus aĩaliũ ridet. Est enim (teste Aristotele) titillatio, risus pręcordiorũ rõne, quę neruis (vt inquit) quibusdã alas subit. Nã calore leuiter pręcordia calefaciente mouet inuoluntarie risum. ob id gladiatorũ spectaculis mortẽ cũ risu traiecta prę-

cordia attulisse visum est. ea mēbranulis q̄busdā deorsum versus lienē a iecore disterminānt, neq; id solū, sed sursum versus mediū quoq; pulmonē diuidūt ac sustinēt, nā & in spirādo iuuāt. et in exonerādo ventre vim habēt, quā apocriticē vocāt. Lesis p̄cordijs aluus substat, vel ex inflammatione mēs protinus, ac si cerebrū afficeret, omnino cōmota cernit. vnde phreneticis nomen

De mammis CAP. IIII.



Ediū igitur pectus a punico malo (vt dissectionē ordine persequamur) ad iugulum vsq; aperiēdū est, cultroq; cutis deorsum versus ad latera diripienda est māmarū ratione, nā et mulierum partes suis locis ptractandę sunt. eę ab vtraq; pectoris parte extuberātes constitutę sunt, media his papilla, adiuncta infantiū cibo, māmis laxior cōtextus est, in quibus & adenes, carūculę glandosę fungosę sunt, ceterū ac foraminulētę naturę, quod in cadauere asseruato euidētius cōspicitur. Maribus caro spissior est, in quibus lactis simile cōpertum est dū hęc conscriberemus. M. maripetrus sacri ordinis equestris tradidit syrum quēdā cui filius infans, mortua cōiuge, superat, vbera sępius admouisse, vt famen filij vagiētis frustraret, cōtinuatoq; suctu lacte manasse papillam, quo exinde nutritus est magno totius vrbis miraculo. Idem Aristoteles de lacte in maribus, verū tamē (inquit) p suctū frequentiorē, vel multū pdisse aliquibus traditū est. Vidimus mulierē etiā cū virgo esset, cui quoniā infœcūda erat menses substiterāt, lacte semp diffluisse, idē authormesses pilos in māmis mulierum inueniri si fortę in poculo pilum hauserit, idq; malū pilare tradit appellari, nec dolorē sedari donec pilus pressus exeat, vel ante lacte exugatur. Alij id negant, quoniā multa sponte sua

gigni in corpore videantur, quæ plerumque, malis medicamentis fieri arbitratur insana vulgi credulitas, inueteratis enim (vt inquit Galenus) abscessibus ob varias humorum qualitates, materiā in calculum, harenam, ligna, carbones, amurcā, fecem, ī setas porcinas, in aliasq; istiusmodi formas cōuerti constat. Aliud malum peculiare mām̄is colostratio vocatur, quam inhibet per mensem ante partū aloe ex rosacea sępe illita. Venę illę ab vtero sursū ascendentes (vt Galenus scribit) per confractū discurrunt, vt tardiori motu sanguinis aptius concoquatur, qui demū adenum virtute albescit.

¶ De musculis pectoris CAP. V.


Vsculi circa mām̄as plures sunt, qui visu depręhēdi nō possunt. Quibusdā pectus inspiratione attollitur, nōnullis deprimitur, reuocaturq; circa pręcordia. Et in superiori pectoris parte collo cōtigui, magis necessarij sūt, læsis enim vix attollitur pectus. Alij id negāt, quoniā impedimētum non arguit mēbri potentiā, impedire enim possunt, sed soli cōstituere motū nequeunt, quoniā vel pulmonis aut diaphragmatis id munus sit, ex Auerroe. Alij musculi a dorso incipiunt, alij itē minutissimi sūt passim dispersi, qui inter costas collocantur singulas, quiq; pectus modo attollūt, modo deprimūt, stamīnis textū in latitudinē longitudinēq; cōprimūt. Circa has partes acutissim⁹ oritur morb⁹ pleuretic⁹ a latere dictus. Pectoris ps prior, q̄ cū costis multa chartilagine cōmittitur, sub iugulis statim constituit, costę vero, quę inter se ānectūtur septenę sunt, longiores, vtrinq; lunato sinu. reliquæ enim quinę sunt breuiores quam vt facere idē queāt, nothę dictę, & rhoę. Summ⁹ vero

vterq; iugulus durus, valēs, & recuruus eſt, recuruiſq; capitibus la cunā efficit, ſupra quā, ea pars eſt quæ iugulus dicit. iidē iuguli ſuis capitibus iuxta humeros terminātur, paululūq; motu brachiorū mouētur, & cum lato oſſe ſcapularū infra caput, eius neruis, ligamētis ſiue nexibus cōnectūtur. Coſtę ſub alis. xij. ſunt quę ad ima pręcordia & ilia perueniūt. hę primis partibus rotunde & leuiter quaſi capitulatę vertebrarū trāſuerſis pceſſib9, ibiq; paululū iſinuatis, inhęrēt. Inde pateſcūt in exteriorē partē, recuruatę paulatim in chartilaginē degenerāt. Ea parte rurſus in exteriora leuiter flexę cū pectore cōmittunt coſtarū ima maiore iam parte. Nichil niſi chartilago eſt, q̄ mali punici termin9 eſt. Thoracis itaq; partes priores, hoc eſt pectus, latera, malū punicū, dicta ſunt, quibus ſpiritalia mēbra cōtinētur. Ea pars nō vno oſſe cōſtat, vt ſuo flexu homo ad neceſſaria opera incuruetur, ac reſpirari facilius poſſit. His peractis, reſectores pectus mediū vſq; ad iugulū ſecant, adapertaq; coſtarū crate, pulmones apparent, ſed membrana prius pleuretica referenda eſt, quę a lateribus potius q̄ a pectore nomen habet.


De pleuretica membrana CAP. VI.

SVb coſtis pāniculus firmior eſt, peritoneo ſimilis, pleuretica dicta, ſingulæ tamen coſtæ membranulis ſuis integuntur. Huic membrana ānexa eſt, quæ medios diducit pulmones, & pectori ſpineq; annectitur, vt altera pulmonis parte læſa, altera incolumis ſeruetur. Hoc cauum vomica morbus pure implet, quæ raro a medicis curatur. Sed ad pulmones tranſeundum eſt, qui cordis ſtragulum efficiunt aereque frigido cordis feruorem temperant.

De pulmonibus CAP. VII.


VImones in duas fibras diducuntur, arteria in geminas partes se diuidēte, intermedia mēbrana quadā, quā disseptū appellauere, alij pręcordia. Pulmonibus spirandi officina data est, cōtinue attrahens, ac reddēs animam, alioqui homo statim rumpitur, quoniā ex volūtaria ac naturali virtute compositus est anhelitus, musculorū cordis & pulmonis officio. Spiritum pulmo, vt Iecur succum, cōmutat pro spirit⁹ vitalis alimēto, reliquum flatu fumoso vel noxio, febriū præsertim vaporibus emittitur. sinu suo cor cōtinet pulmo, perpetuaqꝫ reflagratiōe fouet, spōgiosus, rarus, fistulis inanibus cauus pręter venas arteriasqꝫ, spiritus capax est, plurimū sanguinis cōtinet. Quidam exanguē esse putāt in cadauere decepti, qm̄ sanguis statim effluxerit, nam et plurimū dimouetur, et fistula inflatus viuētis posituram ęgre refert. A collo statim dependet, disseptomedio diuidēte, hunc prętenuis pāniculus vestit. catis animalibus domesticis valde foraminulētus. ab vltimis ceruicis vertebris incipit, in furnibuli figura, vel bubulę (vt aiūt) vngulę, ad tertiam decimā spinæ vertebram versus septū porrectior desinit, ita vt pectoris vniuersi cauum cōpleat.

¶De Trachia arteria CAP. VIII.


Inæ ab oris faucib⁹ canaliculę coeunt, quarū altera breuior exteriorqꝫ est. trachiam arteriam vel phariga græci, latini, guttur vel spiritalem fistulā appellāt. Altera vero longior, interiorqꝫ est. Isophagum græci et stomachū, Latini, gullam et cibalem fistulā vocant, de qua mox dicturi sumus. Illa a faucib⁹ ad pulmones spiritū tātum, alioqui si quid ex improuiso incidit protin⁹ ab ea excutitur. Hęc ad ventriculū cibum, potumqꝫ mittit, q̄q̄ Platonē alioqui

philoſophorũ primum ad pulmonẽ potum defluere, inde in veſicam arbitrãtem, merito ab Eraſiſtrato medico reprẹhẽſum cõſtat. Platonis verba ſubijciã. Pulmonum tegmen cordi adhibuerũt, molle primũ atq; exangue, deinde cauis intrinſecus fiſtulis ſpõgię inſtar diſtinctum, vt ſpiritu potuq; hauſto cordis ardorem, huiuſmodi reſpiratione refrigerio tepefaciat. Alibi itẽ ipſum potus diſcurſum, quo pulmões ſub renes in veſicam defluens. Hęc Plato, quẽ ſine anatomicis inquiſitionibus lapſum eſſe nõ dubitãt, per alteram enim, hoc eſt gulã, tã cibus q̃ pot9 in ventrẽ, q catocœlia dicitur, vbi cibus potuſq; ſubigitur, delabuntur. Per aſperam arteriã ſpiritũ dũtaxat deorſum ſurſumq; ab ore aut naribus reciprocatur. ipſa arteria dura eſt denticulata aſperitate, gulę inhęrens. cęteris partibus per ſe ad pulmonem pertinet. cõſtat ex carne & chartilagineis dimidiatis orbibus in. c. literę figurã cõpoſitis ea parte tantum qua gulæ cõmittitur. reliqua parte arteriæ circuli pfecti ſunt. Id de ĩduſtria molita eſt natura, ne eſculenta craſſiora quum delabũtur impediri poſſint. Hæc pars tenuibus venulis cernitur, ideo ſanguinis in eo exiguum eſt, ſurſum verſus ad fauces iungitur, foraminibus narium ſupponitur, Bronchon appellãt, quę in oris partem pateſcunt, vnde fit vt cum potus in pulmonis tramitẽ deerrauerit, per nares effluat. chartilaginoſa arteria eſt, vocis cauſa, vt tradit Ariſtoteles. nã quod ſonat, leue ac ſolidum eſſe oportet. Ante gulam poſita eſt, quia cor in priore parte collocatũ eſt.

¶ De venis & arterijs in pulmone CAP. IX.


Singulari arteria ad plures in vtranq; pulmonis partem diuidũtur, mox in minores intus ſemitas inde ad minimas fibras ſpar

guntur, membrũ vniuersum cõplentes, quibus inflatis pulmones attollũtur. Dextra pars in tres minores fibras diuidit̃, sinistra in duas tantũ distinguitur, venæ maiori a dextra parte quę maior est pulmo connectitur, ex qua riuulos pene infinitos in omnes mẽbri partes dispargit. Ahortæ sinistra quę minor est, coniungit̃ & eius ramos pari modo dispersos recipit. ita qđ sanguinis spiritus & aeris riuuli minime cõtinuãtur nec intercurrunt, quamq̃ postrema diminutionũ præ sua exiguitate visum effugiãt, & oblitterẽtur, quæ si nimium distento pulmone elidũtur, sanguis ex ore prorumpit, pãniculũ eius quo integitur miro naturę opere pus, saniesve, aut cruor, aut si quid aliud in pectus influit, penetrat, fibras, fistulasq; minimas subit, inde ad maiores vsq; ad trachiam ex qua purulentę, cruentęq; excreationes emittũtur, quod in laterũ doloribus euenit. Ex pulmone phthisis oboritur, & peripneumonia, asthmaq;. sed maiestatem naturę vel cõditoris Dei liceat in hac etiãnũ parte contemplari, qui in humano corpore miracula singulis diebus nobis ostẽdit, nam in pleuretico morbo cruentũ pus per vrinę meatum dare quãdoq; solet. Quod Helio basso Cymbriaci nostri filio cõtigit in maxima morbi desperatione, vel per aluũ aliquando vt ipsi vidimus, hoc magis mirum est, q̃. ꝙ acies scapelli fracta dũ venã imprudens venisecа cuidam incaute incideret, meatus diuersos penetrauerit, postq; aurẽ constiterit, vbi continuis fere punctiõibus percipiebatur, qua molestia leuari sæpe a nobis quesiuit. Supra fidem est quod ipsi cũ in creta essemus vidimus. Rusticus in quodã seditioso tumultu sagitta circa dorsum impacta vulneratus fuit, euulsa sagitta ferrum intus in thorace relictum est, vulnus

frustra perquisito ferro medic⁹ prȩsanauit, quod post biennium per īferna extulit, id miraculi gratia barbatæ figuræ duum digitorū latitudinis ostentabat. Secūdum enim diaphragma pri⁹ mucrone penetrauit vbi pars carnosior est, deinde secūdum intestina delapsum iuxta aluum sensim podicem secuit, viamꝗ sibi ad exitum fecit semiexesum, de qua re magna medicorū concertatio fuit, sed de corde cuius causa pulmo creat⁹ est, dicendum puto.

De cordis principatu. CAP. X.



Cor sanguinis fons est & principiū, calidȩ humidȩꝗ naturæ vt Auerroi placet, vel temperatȩ si Aristoteli creditur. Homini infra leuam papillam turbinato mucrone in priora eminens, summa vero dextrorsum spectat, quod in cadauere plurimum dimouetur. Vidimus quendā pugiōis ictu interemptum dissecto pectore rursusꝗ per vulnus pugione adacto mucronē neꝗ cordis neꝗ pulmonis vulneri respōdisse, tanta est in cadaueribus cum viuentibus positurȩ differentia. In corde vitalis caloris nutrimentiꝗ principium habetur, irascentiȩꝗ sedes. Pāniculi inuolucro firmo veluti vagina operitur. id corpulentū, pingue, ac neruosum est, aquȩ plenū, vt cor ꝑpetuo madeat, ne ī mouendo tergus id impedimēto sit, sed vt libere, ac facilius palpitet. Pulmo ad custodiā id ambit vt stragulū, tanta est visceris principalis reuerētia. Quod inter omnia membra solum vitijs non maceratur, nec vitæ supplicia trahit grauiora. Cordi (vt inquit Aristoteles) nulla bilis appropinquare potest, quoniam illud affectū nullū patitur violentū, nam in hostia male affectum nūquam visum est, mortem illico

trahit læſum. Et cũ cæteræ corruptę partes ſint, vitalitas, cuius ſedes eſt in corde, etiã durat, inuolucri aqua exhauſta aliquo vitio, cor plus ſolito palpitat. Cardiacus morbus appellatur, qui ad tabem hominẽ perducit, quod Galenus in ſimia ſua diſſecta perſpexit. Cor ipſum natura carnoſum ac muſculoſum, in ſũmo pingue, ſine oſſe pręterq̃ nõnullis animalibus inuenitur, vt in ceruorum cordibus. A corde omnes venę maiores tanq̃ ex ſtipite oriri cernũtur, quia in eo nullę venę ſunt. reliqua mẽbra ſanguinẽ nõ habent niſi in venis, tanq̃ in conceptaculis. Et ſanguis ex corde ad venas, inde ad mẽbra deriuat. in fibris autem iecoris aquoſa potius ſanies apparet, nec ſanguinis naturam habet niſi pri⁹ in corde acceperit. Arterięq; ad iecur nõ perueniunt, quoniam cordis peculiares ſunt.

¶ Quibus magna ſunt corda CAP. XI.



Onceptacula cordis (de quibus mox dicturi ſumus) quãdam quaſi articulationẽ, rimis capitis ſuturiſq; ſimilẽ habere cernũtur, quanq̃ nõ ita ſit, quod ex pluribus partibus cor compactum ſit, ſed articulationẽ notis quibuſdã tantum oſtendit. Exiſtimantq; ea animalia quibus magis ea articulata ſint, ſenſu pręſtare. quib⁹ minus, hebetiora. Mollia, ſenſu valent, ſicut & caro. ediuerſo dura ac ſpiſſa. Grandiora vero, pauida ſignificant animalia. contra, quib⁹ minora aut mediocria ſunt. In illis enim cordis portione exiguũ caloris ineſt, quod in magno conceptaculo exoleſcat, atq; ſanguis frigidior fiat. Idem in vẽtriculis cordis, atq; venis cõtingit, nam in paruo atq; magno domicilio tantũdem ignis nõ ęque calefacit, ſed minus in magno. ita in his calor nõ p̱iter agit.

¶ Quare dextra manus sinistra accommodatior sit CAP. XII.



Ordis fibrę quę in ampliore pte sunt ad dextram vergunt, ppterea vehementiorē caliditatem eo infundunt. quare hominū magna pars, dextra vtūtur, si vero ad sinistrā, cōmodiori sinistra vtūtur, si in medio pectore prorsus ęquo librameto pēdet, vtrāq; manū accōmodatam reddit. hos ęquimanos, ambidestres Aristoteles vocat, latini vero scęuas nominant, quod Vlpianus ostendit.

¶ De Cordis ventriculis CAP. XIII.



Or sinum duplicē habere tradit Cellus, quē plures ex nostris medicis secuti sunt, dextrū ac sinistrū. Aristoteles vero tantę auctoritatis est apud multa sęcula, vt quę etiam nō viderint, eafidem sine experimento affirment. Et si duos tātum sinus se vidisse diiudicent, tres tamen inesse fateantur. Hęc res in tota medicina magni negocij est, quoniam ij Aristotelis sententia in ventriculorū numero, meatuum, locorūq; ratione longe oberrāt. Inter quos Galenus alioqui vir doctissimus in Aristotelem apud tot sęcula laudatissimū nimis quidem iniuste inuehitur. Nam is author ita de cauis cordis in homine inquit. Cor habet sinum triplicem, maximū in dextro latere, minimū in sinistro, medium magnitudine & loco inter vtrūq;, omnes ad pulmonē peruij. singulis enim su is cauis sanguinē continēt sine venis, & ea septis diducuntur. Ex cauis dexter plurimū sanguinis calidi cōtinet, ob id pars corporis dextra calidior est, sinister parū sanguinis plurimūq; spiritus frigidioris, nā aerem subire cor certū est, qui ab trachia arteria attrahitur, Medius vero, mediocrē tum copia tum calore, sed te-

nuissimum atq͡ tēperatū(vt iquit)reddit spiritū.ab eo ahortā originē ducere nō dubiū est.nā cordis hunc sinum principiū esse argumēto cōstat,quoniā id maxime quiescere debet,quod principiū est.tale autem erit si sanguis purus,ac mediocris,tū copia tum calore sit. Nam & positione in viuente medius cernit,& sinister venter tumentior est,nō auris flaccida,vt in cadauere conspicitur.elāguescunt eni omnia,et loco dimouent. Minutissimis aialib9 vētres arctiores sunt, ita vt vnus qui āplior est vix conspici possit,reliqui sensum effugiunt.mediocriū aialium secūdus est conspicuus. in maximis vero ꝓspici omnes possunt. Sed sinū spūs frigidioris cū pulmone annexū,aeris receptaculū quod aurem sinistrā nominat Pollux,iter specus nō annūerāt, sicut Celsus et alij posteriores, inter quos & Galenus noster constantissime in Aristotelem seuerius quam par sit reclamat. At Aristoteles naturę nō ignarus duos esse sinus in mucrone tantum conspexit, sed cordis naturam altius contemplatus est, nec aurium cordis vllam mentionem facere voluit. Qui eas in corde posuere, cadaueris tantum posituram considerauere. at ille cautior solertiorq͡,naturę functionem in viuentibus animaduertit. quod in brutis & maioribus animalibus viuentibus facile considerari potest. Is vero philosophus triplicem esse inquit sinum,dextrū,in cōfesso, sanguinis fontem,et omniū maximum. sinistrū minimū,aerem a pulmone haustum cōtinentē, quem aurem sinistrā(vt dictū est) imperiti nominānt. mediū vero tum loco tū magnitudine,ac tēperamento spiritalis sanguinis receptaculū,vnde vena ahorta originē habere certū est. Omnes ad pulmōes peruios meatus habent. qm̄ medius ꝑ sinistrum ingreditur pulmonē

per arteriam venalē, qui in maioribus animalibus con ſpicui ſunt. Sed quum binę aures in mortuis videantur, cur quatuor igitur ſinus eſſe non credendum ſit? Quibus facile occurri poteſt. Nam quod iuxta ſinum dextrum eſt nō ſinus eſſe poteſt, quoniā venę maioris ſtatim veluti ſtipitis e corde exeūtis pars eſt, & eandē materiam venæ maioris continet, nec ſemper, quoniam ad copiam ſanguinis exuperātem dumtaxat conſtituta eſt, alioqui vel in viuentibus reſidet, nec ſeptum vllum, quod a ſpecu maiori diducat habet, quo diuerſam ſanguinis materiam arguat, quę omnia in ſiniſtro folliculo ſiue ſpecu eſſe conſpiciuntur. Dextra auris venę maioris potius laxamentū eſt, non ſine ratiōe a natura compoſitum. Sed qui aures vocauere ſinum, ordinem, numerum, ac rationem ignorauere. vnde Galenus maximus alioqui medicorū, et Auicenna pariter arabs ad controuerſiā impudēter redacti ſunt. Ariſtotelis verba ſubiiciam qui de auribus nullā mentionem facit. Oritur inquit ex ampliſſimo ſupremoq; ſinu vena maior. deinde, vt pote (īquit) cum ipſe vētriculus cordis venę particula ſit ī qua ſanguis reſtagnat. et de eadem, vena (īquit) maior ſua radice cor trāſigat quum ſe promit. Hæc ſunt quę de ſpecuum numero, natura, ac poſitione, pro loci conditione breuiter dici poſſunt. Venę deinde, ac arteriæ circa cor feruntur a dextro & medio cauo, quę ad vtrunq; ſpecū meatibus pertinent. Hinc ſpiritum, inde ſanguinem, mutuis vicibus reddunt, vnde nec ſanguinē ſine ſpiritu, nec ſpiritum ſine ſanguine conſtare poſſibile ſit.

¶ Quę in dextro ſpecu contineantur & de venis eius. CAP. XIIII.

IN dextra cordis parte vbi ſanguinis domici-
lium eſt,laxamētū id auri ſimile de induſtria
ſitum eſt,vt ſuꝑuacaneū(quod ſupra cōme-
moratum eſt)interdū ſanguinem recipiat,alioqui flac
cidum,ac dep̄ſſum iaceat,propterea finitimus nō fru-
ſtra habetur,cū ſanguinis redūdantiā,cū opus eſt , ita
recipiat.in ſinu dextro(a mucrone enim reſecādū eſt)
binę venę intus apparent,quarum altera(q̄q̄ maxima
eſt) ad iecur pertinet, vena magna dicta.ea cor īperfe-
ctum ſanguinē recipit,hoc enim grandi ductu potius
recipere q̄ tribuere creditur.ob id in eius orificio ternę
valuulę de induſtria a natura poſitę ſūt,quaſi clauſtra
quędā mobilia,quę per vices dep̄ſſo corde in emitten-
do ſanguie tranſitū nō penitus p̄cludūt,introrſum eni
recludunt̄,diſtento vero corde ſanguis ſurſum verſus
attrahit̄.ſinꝰ hic magnꝰ neruulos carnoſiores intercur-
ſantes cōtinet,ſicut & medius.laterū ſinus firmę cōpa-
ges ne nimio motu conuellant̄. eadē vena ingēs iuxta
cor āplior eſt,vt arbor iuxta radicē,et cū cordis mate-
ria intus cōfundit̄.iuxta portā riuulus quidā ab ea ve-
na ad cordis fibras circūfert̄,ex quo alij exinde tenui-
ores in cordis ſubſtātiā ſparguntur. Alterū orificiū ad
pulmonē venę arterialis riuo, quo plurimo ſanguine
pulmones abundāt.ea enim duplici mēbrana conſtat
(vnde nomē)ne continenti pulmonis motu facile ſcin-
datur,vnde ſi quando rūpitur, ſanguinis excreatiōes
proueniūt.ante oſtium huius venę triualuiū eſt cluſile
quod foras aperitur,introrſumq; per vices penitꝰ clau
ditur,eaq; rōne conſtitutū,vt in reciprocando cor ſan
guinem valuulis apertis,ad pulmones viciſſim diffun
dat,iiſdem clauſis dū attollitur,nichil inde recipiat

¶ De medio cordis domicilio CAP.XV.

IN medio cordis domicilio vitalem ſpiritum habitare dicunt, vnde recta ratiõe id firmius valẽtiuſq; eſt, nã & arterię omnes eam ob cauſã duplices ſunt circa fibras. Ex hoc cauo duo venarum ora aſpiciuntur, quorũ alterũ quod magnũ eſt ahortę iungitur, alterũ tenuius ad pulmones mittitur per ſinum ſiniſtrũ. quod maius eſt mẽbris omnibus vitalem ſpiritũ vſq; ad digitorum cacumina ſpargit cõtracto corde. In hui⁹ orificio ternæ valuulę pari rõne conſtitutę ſunt, & firmiores quidẽ, ſicut & neruuli intus, & mẽbranæ, quę omnia penitus præcludunt, vt in retribuendo ſpiritu facultas ſit, nulla vero in recipiẽdo valuarũ oppoſitu, quę extrorſum pręcludũtur. Iuxta radicem vena, ac arteria exigua eſt, quę ſanguinem & ſpiritũ vltro citroq; a dextro ad mediũ ſinum deferunt. quod diſſectionibus apparet, vt pauloante dictum eſt.

¶ De ſpecu ſiniſtro CAP. XVI.

HOc ſiniſtro ſpecu, quẽ aurẽ ſiniſtrã imperiti vocãt, gręci otta, rugoſus cauernoſus, minus quã cæteri carnoſæ materiæ, ad hunc arteria aerem mittit, pulmoni annexus, hinc arteria venalis dicta ad pulmonem tendit, quoniã venę tunicam habet tenuiorem. Hoc tramite cordis feruor dum ſpiram⁹, refrigeratur, ex qua parte ſuperflui fumeiq; flatus qui a corde ferũtur tranſmittuntur, inter hũc ſinum & mediũ inter vtriuſq; cõfinia binę valuulę ingentes omnium robuſtiſſimę, neruulis frequẽtibus & duris applicatę cordis parietibus totum orificiũ pręcludũt, introrſum enim mouẽtur. Hoc biualuio cauũ medium a ſiniſtro ſuperiori diuiditur, venaſq; geminas ad geminos ſpargit pulmões, quæ ad minimas fibras

descendūt, in quas aer veluti prȩparatus ad cordis cauum ducitur sinistrum, quod aere albescēs intus cernitur pro spiritalis sanguinis mixtiōe. Ob id valuulȩ introrsum spectant, vt potius recipiāt q̃ retribuant, nā in corpore frigiditas ipsa ad naturalem calorē temperandū necessario habet. Pulmonibus ac corde sublatis ad septimā vertebrā glandulȩ similis est carūcula, thymes appellata, humoris mali & superuacanei capax.

¶ De gula CAP. XVII.


T nunc gulæ ratio reddenda est, quæ post Trachiam arteriā posteriorē locum tenet. Cōstat ex neruo & carne, vt extendi possit cum cibus ingerit, & cedat ne ledatur asperitate cibi descendentis. A faucibus dependet cōtinua tum spinȩ tū arterię nexu, & per septum transuersum in ventriculū finit, carnis speciē referens. ab angustia et longitudine nuncupata est, tubæ perquam similis, vel ad latitudinem, longitudinemq;, vt tradit Plinius, lagenæ modo fusa. in faucibus maxime dilatatur. pars quȩ vētrem attingit plurimū sensilis est neruorum natura, quibus vomitiones excitātur. Quȩ broncho cōpacta est, carnosior cernitur, ministrā ciborum vocāt, alij dispensatricem. Ob hanc Philoxenus eryxius collum sibi gruis a dijs prȩcabatur. Sunt & alij Phyloxeni qui gulam prȩter modum in vita excolūt summūq; bonum huic parti attribuunt, Apicij nepotis asseclæ, qui dotes amplissimas, & patrimonia ingētia hoc gurgite profudere. Hinc censorię leges etiamnū apud Venetos solēnibus cœnis, siluestriū aialium carnib⁹ prȩter phȩnicopterum interdicentes. Ea duplici membrana constat, varioq; vilorum ordine, altera stamine per latitudinem procedente cibum expellit, qui cum attra

hitur, cedit nec ledit. altera vero interior deorsum trahit vilorum oblongo stamine cibum. ea vis cathelctice dicitur, faucium peculiaris, qua in epulādo crassam congestāq; materiam per faucium angusta farcimus. ea si in acutis morbis deficit, mortem minatur. In angina quandoq; ita afficitur, vt neq; cibus neq; potus trahi possit, cibumq; quandoq; dūtaxat demittunt, aut potum. In deuorando enim guttur cuius pars gurgulio est sursum versus gulā trahit. Guttura quibusdam Italię locis adeo fœde intumescunt aquarū vitio, vt ꝑ monstris habeantur, aduenę nāq; breui id vitium contrahunt. Bronchocœlen gręci vocāt. Dissectores in collo cutem diuellāt, vt musculi qui lōgiores sunt appareant. Ijs venę grandiusculę hærent, quarum vis cōsideranda est, deinde cōfracto mento maxillę eluxāde sūt vt quę in ore & faucibus cōtinentur, clarius cernātur.

¶ De epiglottide & arteria CAP. VIII.


Vtturi epiglottis sub ipsis faucib⁹ quoddam operculum linguę postremę annexum accommodauit, ne quid cibi potusve in alienum delabatur iter, quoniam spirandi meatus intercluduntur, sicut Anacreonti poetę accidit, qui vuę passę acino necatus est. Sicut & Fabius prętor in lacte pilo hausto strangulatus, et si ętate nostra Venetijs dum hæc conderemus anno a sal. vniuersali Mccccclxxxiij Lucretiæ perquam familiari nostræ simile contigerit. Ea cum nucem pōticam dente frangeret, oborto risu, nux in spiritus meatū protinus respirando deuoluta est, moribūda statim cōcidit, in eo ancipiti strāgulatu ad interiores pulmōis ptes impacta est, tū min⁹ affligi cœpit, vnde nichilomin⁹ spūs grauior, sonātiorq; ob-

ſceſſo meatu audiebatur, tũ vitæ ſpẽ habere cœperũt, quoniã confractis quibuſdã venulis, vomica in pecto re exorta eſt, quę tandẽ perſanata, obſeſſis meatibus reciprocantis animę raucus ſonus etiamnũ percipitur. Miro igitur opere id operculũ conſtitutũ eſt, quod lin guam minorẽ Galenus vocat. eam ob cauſam duabus appoſita eſt fiſtulis, vt per vices aperiat, atq; integat. Chartilaginea eſt, imę linguę adeo annexa, vt diſcerni vllo pacto nequeat. Bronchus in gutturis ſupma parte ſitus eſt, pelliculare membrũ, muſculoſum, neruoſum, chartilaginoſumq;, vt argutius ſit, in quod pcuſſus ſpiritus, ſonus, aut vox ipſa pfectius elidatur.

De tonſillis & vua. CAP. XIX.



Alato extremo, atq; intimo extantes vtrinq; carnes ſunt (quas noſtri tõſillas & mala, gręci antiadas & pariſthmia dicunt, in ſue glandulas vocamus) eiuſdẽ fere cũ cæteris adenis naturæ. cum intumeſcũt eodẽ nomine appellat̃ morbus. Quibus vomica vis ſaliuę ppetua eſt, qua cibus cõmodius conficitur, & arteria madet. Gulę annexę ſunt tenuibus quibuſdã mẽbranulis, quibus ſubeſt os, quod vocatur hyoides ad ſimilitudinẽ. y. litterę, cui caput Brõchi adalligat̃. Inter has vua palato vltimo, quę ſoli animalium homini dependet, columella ab alijs dicitur, quę ſi inflãmatur, aut tumet, vuę nomine appellatur. materię fungoſę eſt, diſtillationibus capitis oppoſita, voci neceſſaria, quę ſi pręciditur, voci ſplendorem auſert, ob id aduri ſolet, nam pręciſa difficulter ſanatur, vnde oris graueolẽtia innaſcitur, ac demum tabes ſubit, quoniã (vt tradit Alexander aphrodiſieus) ea ps ſpiritum primum temperat, ne ſtatim ad pulmones crudus deſcendat.

⁋De Palato CAP.XX.

P Alatum tũ cibo tum voci necessarium est, cęlum dictũ, in quo saporũ intellectus est, sicut & in lingua. Recteq; cũ cibus dentibus conficitur sub eo cauo circũuoluitur, crenis frequentibus concoctionẽ quandã pręparãtibus. Piscibus adeo carnosum est, vt lingua a plerisq; existimetur. Sensum saporum pręstat neruus a cerebro descendens.

⁋De lingua CAP.XXI

LIngua mentis ac voluntatis nũtia, ob id Platovenam, quã neruũ verius dixerimus, a lingua ad cordis sedem tendere asseuerat, ea vocis articulatę moderatrix est, cũ epiglottis simplicis soni instrumẽtum sit. Lingua de saporibus diiudicat ob neruos sensificos ex sexta syzygia a cerebro descẽdente. etenim mouẽdi vis a cerebello posteriori prouenit: Est enim gustus quasi tactus quidã. Fissura eã distingui nõ satis perspicuum est, sed ex offensiõe intelligit, propterea partem alterutram apoplexiæ morbo periclitari, & in vuluę quoq; malis nigrescentẽ, altera parte illęsa cõtinuis diebus vidimus. Dissecta in longũ, plures intus arteriæ venęq; visuntur. Ea mediocris quæ nec nimiũ lata nec nimiũ angusta, optima atq; explanatissima habetur. quę constricta vocatur balbos, blesos, antipos efficit. Natura rara est, fungosa, atq; soluta, ossi quod hyoides dixim⁹ vocari adhęret, cui quasi adminiculo sustẽtatur, motus enim super re imobili fieri semper solet. sub ea frenũ est, cui silẽtium & loquacitas attributa est, vnde effrenis in conuitiũ transit.

⁋De dentibus CAP.XXII.


Arij in ore dẽtes sunt, aduersi primũ, qui lati acutiq; sunt vt cibos secent, intimi duplices qui conficiant, maxillares dicti. qui vero discriminãt, canini appellantur, partim acuti partim lati, nam mediũ vtriusq; extremi particeps est. nouissimi genuini vocant̃, qui circiter. xx. annũ nascuntur. multis & octogesimo, quod ętate nostra contigit, geniti & in palato quibusdã cernuntur. Antonii Boldi equitis filius dentes anteriores cũ maxillę rheumatismo in pueritia forte amisit quę breui restituit natura. Maribus plures q̃ fœminis sunt, ex ijs quaterni primores dicũtur, a gręcis temnici, & gelasini vocãtur, qui deinde quatuor caninis ex omni pte cinguntur, vltra quos vtrinq; tam superiores q̃ inferiores quaterni maxillares positi sunt, pręter hos vltimi sunt quos sero gigni diximus, ob id sophronisteras & crãteras vocant. priores sicut et qui canini nominãtur singulas radices fundunt. maxillares aliqui binis, ternis, quaternisve nituntur radicibus, fereq; longior radice breuiorem edit dentẽ. Rectis dentibus recta radix, curuis flexa est. Omnes dentes ossium naturã ęmulantur, qui tamen acuta pituita excauant̃. soli sensum habent, nam frigore ledũtur, & acrimonia stupefiunt. Primores ad vocis regimen cõstituti. Hos dẽtes cũ excidissent, Merula alexãdrinus noster. q. p̃ceptor aureo filo ad pronũciationem obligabat. Quibus pauciores & rariores dẽtes (teste Aristotele) magna ex parte breuioris sunt vitæ.

De labris & gingiuis. CAP. XXIII.


Abra oris pars extima est, ad potũ, cibũ, litteras exprimendas, pro tutelaq; dentiũ necessaria, ea enim et voces explanant, nã pro-

ducũtur, contrahũtur, & dilatantur vario musculorũ intextu. ob id ad motum omnem promouẽtur forinsecus euidenti cute, intrinsecus cuticula rutila integũtur, quę roseo colore intra os circũdat. Ea moriẽtibus prę terquã in epaticis ex purpureo colore statim in pallorẽ discolorantur, rubore euanescente. ea cũ gula copulantur neruis quibusdam, de quibus mox dicturi sumus. Quapropter vomituris labia tremũt, inferiora prę ser tim. his oscitamus, & si nimium, in vitium trãsit, quod oscedo dicitur. vbi vero dẽtes infixi sunt, multifida, rutila gingiua vocatur. Hactenus de oris partibus diximus, quę spiritalibus & naturalibus mẽbris accõmodata sunt. Hinc ad cerebrum corporis principale mẽbrum transeamus, quod dissectionis ratione inter postrema habitum est.

¶ In librum quartum anatomices.

¶ Alexãdri Benedicti physici de membro animali quod capite continetur.

¶ De capite CAP. I.



CApt osse vndiq; parũ firmo, carne, neruoq; contextũ (vt inquit Plato) imbecillius cernitur in homine, quoniam cęteris brutis ad sentiendũ acutius prudentiusq; constitutum est, sed extremę capitis parti neruos adiunxit ad ceruicis robur, deinde p omnia mẽbra et articulos reliquos, cõtexuit neruos vel chordas aut quas connexiões vocãt. Itaq; nudo osse relinquẽdũ nõ erat pter caloris frigorisq; excessum, neq; rursus carnis põdere pgrauatũ, ne obtu-

ſum ſenſu efficeretur, ſed cute deſiccata circa os firmum et leue reddidit. Alioqui quibus pingue, neruoſumq́ꝫ, ac carnoſum caput eſt, validioris ac diuturnioris (vt inquit) vitę ſunt. Cęterũ natura de humano genere cõſultante vtrum diuturnius & deterius, an breuioris quidem vitę ſed melioris efficeret. viſum fuit vitam breuem meliorẽq́ꝫ, diuturnã & deteriori eſſe omnino anteponẽdã. Hanc vndiq́ꝫ cutem calor naturalis pupugit & vias aperuit, vnde viſcoſum humorẽ extra productum & in longũ paulatim extẽſum punctionibus equalem reddens in tenuitatẽ capillamẽti explicauit, ac ſub cute reuolutus humor radices egit. His igitur cauſis capilli in cute nati ſunt, qui propter coagulationem a frigido ſtatim factam duriores cute atq́ꝫ denſiores ſunt. Tegmen vero ipſum ad cerebri tutelã compoſitum eſt, caluariaq́ꝫ ipſa veluti ſphera oſſea quaſi torno facta cerebrum circunſepſit, & eius virtutes cæleſti ſpheræ diuinas orbiũ animas tegenti ſimillimas. Hic vicaria medulla teres per ceruicis cardines rotulas vertebraſq́ꝫ ad imam ſpinã deſcendens, ſeminis (vt inquit idem author) humani adiutrix, adeo neceſſaria, vt lapideo & articulari ambitu circũuallata cõſiſteret, ad motũ inclinamẽtũq́ꝫ idonea. Ad hãc mẽtis arcem contẽplãdã Hermolaus Barbarꝰ noſter q̃ primas tenetur inter latinos, ac Antonius Cornelius primꝰ apud nos philoſophus acceſſere, qm̃ mẽtẽ ipſam animoſius ſemꝑ excolũt cęlicolis ſimiles, ac ſine huiꝰ vitę ſordibꝰ animo candidiores.

¶ De intellectu hominis diuino CAP. II.



Collum caput ſuſtinet, in quo cerebrum viſcerum excellentiſſimũ cõtinetur cęlo proximũ. Hinc euidentius intellectus culmen altiſſimũ

habet, & humana ratio, quã effector mũdi, molitorqꝫ deus per filiũ maxime sibi proximam fecit. Hinc imagines, cogitationesqꝫ proficiscũtur, quæ etiamnũ diuini consilij participes fieri solent, q̃d sanctis hominibus (et si raro) cõceditur. vnde prę diuinatiõe certa, mortales futura quãdoqꝫ pręsagiũt. Et in somno visiões futurorum pręnũcię, euidentissimę apparẽt, quibus immortalem animã esse non dubitamus, quę nichil cum corporali actione mistum habere dijudicatur. Eę visiones insomniorũ naturam non habent, quę vino ac cibo distentis superueniunt, occursantibus quibusdã falsis imaginibus. Cerebrũ, quod sine sensu est, sensificæ tamẽ potẽtię instrumentũ traditur. In eo somnus consistit, qui mortis imaginẽ refert, ꝓiectis sine sensu mẽbris. Qui somnulenti sunt & qui noctes non circunscribunt torpori vacantes, vitę dulcedine min⁹ abũdant. Somni causa est, quoniã frigidũ & humectum est, & vapores in eo congesti statim defluentes, meatus sensibilium virtutum obstruentes, sine sensu mẽbra iacent, et exinde si modum non excedit, vires assumunt. omnium frigidissimũ est pro cordis temperamento. solet enim natura semper moliri cõtra cuiusuis exuperãtiã auxilium per coniũctionẽ rei aduersę, vt excessum alterum altero cõpescat. In vniuerso enim corpore frigiditas ad temperandũ naturalẽ calorem a natura data est, quod tactu percipitur & ratiõe intelligitur. sanguinis enim nichil habet. sed vt ea quoqꝫ pars modico potiatur calore, venæ ad mẽbranã mẽbri inuolucrũ deueniũt, ex vtraqꝫ vena maiori & ahorta. Et ne calor minus offendat, non paucę amplæ, sed frequentes ac tenues venæ per anfractus ambiũt, ne sanguis copiosus et crassus, sed tenuis sincęrusqꝫ subeat eodẽ. Cerebrũ

terreę & aqueę naturæ esse constat, quod cum coquatur induresçat siccescatq;, vt humor calore cōsumpto, terrena portio relinquatur. ob id medulla non est, sed sui generis membrum. Si humet vel arescit supra modum, afficitur, vel soluitur mēs, vel cōmouetur. si aquilone frigidius redditum est, post austri flatus, distillationes fluunt. Vapor enim sublimis cerebrum petit, qui ob membri frigiditatem refrigeratus in humorē conuertitur. quod cælo himbribus euenire solet, vaporibus in superiore aeris parte collectis, si magnum cum paruo cōferre licet. cum enim ex terra vel aqua vapor ex calore ad supremum aerem fertur, qui frigidus est, consistit, denuo in aquam propter refrigerationē conuertitur, ac demum in terram defluit.

¶ Quę cerebro contineantur CAP. III.

EX cerebro neruorum sēsus quasi interpretes nuncijq; rerum sensibiliū perspiciuntur, magnaq; ideo ex parte in capite tanq̄ in arce collocantur. Ideo caput quo sensus initium capiatur, video appellari. quod homini proportione maximum est. Cōstat præter capillorū tegmen, cute, mēbrana, caluaria, duplici item panniculo, cerebro, ventriculis, reticulo quodā venarum ac arteriarū intercurrentium mirabili, & cęteris venarum anfractibus, neruis, & alijs dissimilaribus partibus, oculis veluti, auribus hisq; similibus, vt suis enarrabimus locis.

¶ De capillo CAP. IIII,

CApillus homini plurimus est, regionū differētia durior aut mollior. aduersus vim frigoris datus est. Ex humore excrementicio, ac fumeo vapore ex vniuerso corpore fertur ad cutem. pili materia efficitur. pro cutis qualitate modo duri, mo-

do molles sunt, modo albi, modo nigri p̄ cutis colore, vt in vitiligine. canescunt opti potius quā vento diffla-ti, in tēporibus incipiūt. pubes nouissime canescit. Capillus, sup̄cilia, palpebręq;, cōgenitę sunt. Post geniti sunt pubis primū, mox alarum, postremo barba. Defluunt capilli, sed nūq̄ in occipiti. Sup̄cilia defluūt, cui vitio nomen nō inuenere. Mulieres nō tentantur caluitio, neq; pueri, neq; spadones. Pili post pubertatem enati, excisis soli decidunt, pręterquā pubis. Dictum cuiusdam græci rustici occurrit. Is quendam philosophię sectatorem ex improuiso non sine risu interrogauit, quibus barba constaret? ille attonitus nichil respondit. At rusticus cauillatione quadam, ego (inquit) qui ruri maneo apte & cōmode dicam, quoniam testibus continetur, atq; ita mentum græca maiestate barba co honestari. Omnes præter palpebras excrescunt velociusq; canescunt. Quibusdam barba rarior est, sed mistax nunquā nudus est. Tabefactis pili crescunt, capilli defluunt. Defunctis quādoq; augescunt, quod & vnguibus euenit. Lassis venere congeniti pili maturi⁹ defluunt, postgeniti velocius prodeūt. Quibus varices sunt, min⁹ caluescūt. Cęci natiuitate nō caluescūt quoniā (inquit Alexander aphrodisieus) caliditas in locū transfertur proximum.

¶ De cute capitis CAP. V.



Vtis oīs sensu caret p̄sertim quę caput ītegit, quoniam ibi nulla interposita carne ossi adhęreat. crassior item natura est, ideo maiore radice nitunť capilli. Sub hac cute lentor quidam magis mucosus est, q̄ alibi. quibusdā cutis ea mobilis est, a frōte ad occipitium, & ediuerso, neruis quibusdam summū caluarię penetrātibus ad cutem.

ℭ De exteriori mēbrana caluarię CAP.VI.

SVb cute mēbrana eſt, quę caluariam extrinſecus velat, cui altera ex interioribus per ſuturas capitis annectitur, ne illa adhęrendo cerebrum opprimat. Pro tegmine igiť a natura conſtituta eſt, vt alio etiam velamēto caluaria ſeruetur illęſa. magnam enim cū interiore mēbrana germanitatē gerit.

ℭ De caluaria. CAP.VII.



Vtis itaqꝫ per lineas tranſuerſas ab occipitio per verticem vſqꝫ ad frontē imā diuellitur cū mēbrana, tū caluaria apparet, teſta ab antiquis dicta, quę ex interiori parte cōcaua eſt, extrinſecus globoſa, quę Sphęroides a gręcis cognominatur, partes vero hemiſphæria, vtrinqꝫ lenis atqꝫ plana in tēporibus, duplex in fronte, ideo firmiſſima. oſſa ab exterioribus partibꝰ dura, ab interioribus molliora ſunt, inter quę venę diſcurrunt, foraminulentam partem ſine medulla conſtituentes, quibus oſſa ali credibile eſt. Suturę in ea ſunt quarum numerus incertus eſt, ſicut nec locus quidem Hippocrate auctore. Patauij vidímꝰ in anatomices ſpectaculo caluariam ſolidā ſine compagibus. ea capita canina dicuntur ob ſimilitudinē, quę firmiſſima & a dolore tutiſſima eſſe traduntur, iuncturaſqꝫ pauciores capitis valitudinē præſtare tradit Celſus, oſſa fracta ſolidantur a quibuſdā, ab aliјs eximuntur inuicemqꝫ eorum corporea duraqꝫ cicatrix ſuccedit, infantibus ſinciput ſerius admodum induratur.

ℭ De ſuturis caluarię CAP.VIII



Vturę ternæ in ſummū verticem aſcendunt, coeuntqꝫ in figurę triangulę ſpeciem, conſtat ſenis oſſibus caput, nōnullis octonis, quorū bina ſunt maxillę ſuperioris & inferioris. hęc

mobilis est, supior media oculorũ foramina & nasum diuidit, cerebrũq; suo interno processu sustinet dentiũ ordinẽ. supior, sutura vna claudit. malarũ quoq; ossa quę a genis tegunt, in maxilla superiori vtrinq; cõtinẽtur, suturisq; ad auriũ ossa bina minima finiũtur. q̃ leuiter diuisa sunt, vna sutura cõtinent, a priori tamẽ ꝑte frontis ossi subeũti potius leuiter insidere q̃ per cõpagẽ cõiungi videãtur. Post aures crassissima sunt, & maximos ictus sustinẽt. ꝓcessus deorsum versus emittunt. in tẽporibus vero tenuissima sunt, ob id & periculosa. Frõtis os supra aures finit, mediosq; oculos diuidit sutura tenui, ossi maxillę superioris conterminũ, ab auribus sursũ versus ad verticẽ serratis cõpagibus (stephanitides enĩ dictę sunt) ferunt mira ossis duricia vt ignis veluti e silice elidi possit. In supcilijs ac supra nasum vbi parũ supeminet, duplex ẽ, quibusdã simplex. Os prẹterea occipitij quod sextũ hactenus ãnumerat suturis ad. λ. litterę figurã, claudit, vnde labdoides dicitur, posteri⁹ cerebellũ operiẽs, sutura sursum versus ad verticẽ transmissa. Hęc pars infirma quoq; habet. reliqua bina ossa quę octauũ numerũ complẽt supra aures sunt, & capitis latera dicũtur, fronte ac occipitio minus inflexa. cõpagibus ad verticem quoq; cõiungũtur ad occipitiũ et frontem. Caluaria ipsa quatuor dũtaxat ossibus constat, fronte et occipitio, quod epicranis a Polluce vocatur, duobusq; supra aures lateribus. Horum suturę euidẽtissimę sunt, reliquę fallaces dicũtur. cerebri fundamentũ siue basin, eorũ quę descripsimus partem esse demõstrauimus. Sic suturarũ & ossium loc⁹ et numer⁹ se habet. Hinc qua rõne medicorũ vsus sinciput soleat vel adurere vel abradere, cũ opus est, indicandũ. Manũ imã sũmo naso vbi interciliũ est

ſurſum verſus admouent & ad bregma extendũt, hoc eſt ſinciput, ſummũ tamẽ digiti medij notant, acia ab vtraq; pte diducta. quod interiacet obſeruãt. ſuã nãq; menſurã ſibi quiſq; facit. & ita cõpitũ triũ ſuturarum hoc modo inueniri putãt, cõiectura interdum fallaci, vnde ſeſe deceptum aliquando Hippocrates palam profeſſus eſt.

¶ De membranis interioribus. CAP. IX.

HIs partim pſpectis, partim ſola enarratiõe cognitis, indicandũ nunc eſt quo modo ex ictu capitis aut lapſu, caluariȩ fruſtũ eximẽdum ſit, chirurgis prȩſentibus, quia & ipſi huic noſtro theatro intereſſe debẽt, vt cruor, aut pus, ſi ſubeſt, inde educatur. Alioqui apoſtemata, febris, neruorũq; diſtentiones (ſpaſmi enim dicũtur) ac delirium deniq; ſuperueniunt. aut enim os abradunt nõ exiguo labore, aut orbiculari ſerra. His modis demonſtratis caluaria tota a ſuperciliis ad aures in occipitium vſq;, ſerra diſſecant. qua emota, cerebri q̃titas pene, mẽbrorum pportione incredibilis, viris prȩſertim, ſpectãda eſt, duabus tuniculis velantibus, quarũ alterutram rumpi mortiferum eſt. Superior validior eſt, ſuturis caluariæ adnexa, cuſtos cerebri appellata. Altera ipſũ cerebrũ veſtit, q̃ tenuiſſima, atq; infirmior. ilamidẽ Pollux vocat. Hȩc venas prȩtenues anfractu quodã coeuntes, vndiq; ſupra conſperſas cerebro cõtinet, quæ membri materiã non tranſigunt, ſed ſupra feruntur. ob id ſanguine caret. cerebri nãq; frigiditas peculiari ſuo munere ſpiritũ a corde venientem temperat pro ſenſifica virtute cõſtituenda. Omenta ipſa pro tegmine data, carne vacãt vt vapores nec habeãt nec cõtrahãt, et caluariȩ craſſior annectit vt nichil põderis afferat. Eȩ anterius cerebrũ in

duas partes diducunt, dextrã & ſiniſtrã, vnde hetero-crania nomen habet. & anterius idem a poſteriori cerebello diſterminant, ſic enim vocatur. minus eſt ac durius. Inter has cerebri partes quidã imperitus chirurgus quum lapſum ex alto curaret, ſpecillum ad imam vſq; partem impoſuit, vt ignari ſolent vana perquirentes. cerebrum perforatum putauit, cognito a phyſico errore, ſpecillum inter geminatas vtraſq; membranas impoſuiſſe cognouit.

¶ De cauis cerebri CAP. X.

SVnt & in cerebro terni ſpecus, prioris gemini ſunt, tenuiſſima intus circundante mẽbrana. poſtremi vero cauum per ſe ſine mẽbrana conſiſtit, ſed ſua dũtaxat duricia conſeruatur. illi gemini cõſtituti ſunt ſicut et pleraq; membra, renes, pulmones, aures, oculi. vt ſi quid alteri parti occurrat, reliqua illeſa ſuo fungatur munere. In cerebro enim vitalis ſpirit9, qui a corde ſurſum verſus arteriis diffunditur, tẽperatur, atq; ſenſificã inde virtutẽ (quã animalem vocant) recipit. quę ex ijs cauernis ſpiritus ipſos, qui & ſpiramẽta vocãtur, ſenſibus, neruis, muſculiſq; motus ac varias potẽtias per membra diffuſas adminiſtrãt. quę ſi vertigine ſpõtanea aut p vim circũagendo corpus equo vel nauicula vel morbo, vt in vertiginoſis, turbata ſunt, humores & ſpiritus ſimul exagitẽt, vnde functionibus ſuis deſtitutis, auditus, viſus motuſq; membrorũ cum vniuerſo corpore in ruinam plabatur. Cerebri materia paulatim ſecanda eſt, quoad internæ appareant cauernę, quæ viuentibus ampliores ſunt, i dextra ſcilicet & ſiniſtra parte. vtraq; enim eiuſdem rõnis eſt. Ambigũt tamen philoſophãtes an geminas imagines ſiue ſpecies (Cicero ſpectra vocat)

referat vterqꝫ ſinus, cũ loco differant neqꝫ in aliquo tertio conueniant, vt oculis cõtingit. qui etſi gemini ſint, vnicam tamẽ repręſentant formã. In his enim ſenſuũ nobiliſſimorũ vires habentur. ex his cogitationis, exæſtimationiſqꝫ, atqꝫ intellectus potentia adipiſcit. In his qui cõmunis ſenſus dicitur, ſubiectorũ ſenſibilium cõcipit rerum ſpecies. imagines varię ac diuerſę hic formantur. itaqꝫ huc viſus, auditus, olfactus, & cęteri ſenſus tendũt per tramites neruorum aut pãniculorum, et imagines ipſę ſuapte natura vel inuoluntario occurrunt, nec humani ſemper ſunt arbitrij. Imaginatricem hanc vim ſiue phantaſiam vocamus, quã quidam ex poſterioribus diuerſas virtutes falſo eſſe arbitrati ſũt. Hanc partem Nicolaus leonicenus ac Laurẽtius laurentianus nõ redarguent. ſenſus nãqꝫ cõmunis de exterioribus iudicium affert. De locis autem harum virtutum nemo pręter poſteriores philoſophos mẽtionẽ facere auſus eſt. Quoniã huiuſmodi cauernę parteſqꝫ cerebri ſi affectę ſunt, ratio menſqꝫ ipſa confundi videtur. vana nãqꝫ vident, audiunt, cogitant et imaginantur, perperãqꝫ diiudicant. Hinc vertiginoſi, lymphatici, phrenetici, delirantes, vel attoniti fiunt, alij comitialiter cõcidunt, alij repente obmuteſcunt.

¶ De cerebelli ſinu. CAP. XI.



IN poſteriori cerebro euidẽtiori ſenſus inſtrumento, cauerna eſt amplior, ĩ qua vis illa memoriæ ſita eſt ac viget. Hic alij reminiſcentiæ locum faciunt. illa continuata eſt imaginum conſeruatio. hęc quandoqꝫ intercipitur. ijs duab⁹ virtutibus imagines ſiue phãtaſmata ancillãtur. Alij tramiti medio eam (vt dicemus) vim reminiſcentiæ attribuũt. Cerebelli ſinus in ſũmo latus eſt mucrone ad

ſpinam vergēte, figurę obeliſci inuerſi. hac parte lęſa lethargic⁹ morb⁹ affligit. Vnde nōnulli literas obliti ſūt et parentum nomina, alter ex bile porracea, maliſq; inde vaporibus præſentium librorum nomina non tenebat, ſubito malo, qua protin⁹ reddita, memoria pariter reſtituta eſt. Ex eo ſpinę medulla oritur, tanq̄ neruorum plurimorū manifeſta origo, diuerſę ab ipſo cerebro naturę. nam pinguis eſt, in coquendoq; mollior redditur. illud baſis dicitˀ cerebri, a græcis paracephalis vocatur vel epicranis colore magis flauo.

¶ De tramite medio inter vtrūq; ſinū CAP. XII.



Nter ventres anteriores poſterioreq; via eſt vtriſq; annexa, qua imagines (vt dicunt) vtriuſq; vltro citroq; deferūtur. Hic quas aſſertiones & conſilia vocamus fieri tradūtur. hic intellecta recognoſcūtur. renūciat enim imagines omnes memoriæ, atq; inde reportat reminiſcentiæ vires. vis eius voluntaria eſt, fitq; pro hominis arbitrio. Hac virtute opinamur, reminiſcimur, & aſſentimur, diſcernimuſq;, ipſa comitāte ratione, ea virtute cōponimus reſoluimuſq;, quę in animo ſunt oratiōes. Ob id, ea via cordi veluti omniū principio ſupra conſtituta eſt. lumbrico enim terreſtri eſt perq̄ ſimilis. nā & colore rubida eſt, vt vermis arcuatim contrahitur prolongaturq; cum opus eſt. Sed quis hominum quæſo hæc indagauit? quis ſolertis ingenij hæc conſecutus eſt? verum ſit an falſum vita decreuerit.

¶ De cęteris cerebri partibus CAP. XIII.



Riuſq̄ ea abiicias, non minori cura tria vidēda ſunt, quæ a medicis indagatiōe pertractata ſunt. Inter priores ventres & medium tramitem quędā extantes partes ſunt, fulcimen-

ta dicta, ex eadē cerebri materia cōstituta. Inter itē ventriculos, veluti terrestris lumbrici interiacent, neruulis vtrinq; adalligati. qui cū in longum porrigūtur, meat⁹ a primo vētriculo ad tramitē mediū trāseūtes claudūt. si vero cōtrahūtur, iidem ductus aperiri creduntᷓ. & ita spūm quo imagīes vehūtur citro vltroq; discurrit. Sub his vero quędā cōchularis concauitas apparet, in cui⁹ medio foramētum est, quod deorsum versus ad viam palati extremi excretoriam descendit, vnde pituitę fluctiones a medio cerebro profluunt, & sternutamenta prorūpunt. Eadem lacuna, vndiq; rotūdos processus habet, quibus venę ac arterię sustinentᷓ, quę ab arteriarum reticulo mirabili ad antedictos ventriculos deferuntur. Secundū eundem reticulum glādulę quędam prominent superflui capaces.

¶ De septem neruorum syzygijs secundum veteres medicos. CAP. XIIII.



Erebrum demū omne sensim cum membranis duabus subiectis emouēdum est, ne nerui qui inde oriuntur loco suo auferantᷓ. Septē enim neruorū syzygiæ a cerebro oriūtur. Neruorū syzygiam vocamus, cū bini nerui pariter emergunt, qui sensificum spiramentū ad certa membrorum loca trāsmittunt, vt sensum vicinis, & longe positis mēbris spiritali semita infundant. Prima enim coniugatio oculos petit, quas & venas quidam vocant, ex quo colorū agnitio, & luminis & tenebrarum discrimē habet. Secūda in aures se diffundit contra Aristotelis sententiam, per quam innascitur sonorum noticia. Tertia naribus inseritur, vim olfactricem ministrās. Quarta palatum tenet. Quinta ad linguā & ad faciē. Sexta stomachum petit, cui maxīe sensus est necessarius vt appetat & su-

pflua respuat. Septima vero neruorũ syzygia infũdit sensum spinali medullę, quę cõpacta est, et ad imã spinam descendit. sed de his cõiugationibus veriora subiungemus. Priores medici syzygiarum originẽ magis q̃ finẽ obseruauere, at posteriores cõcisim rẽ cõsiderauere. Primã ad oculos ab ima parte prioris ventriculi cerebri pertingere. opticos enim vocãt, qui tamẽ prius propter tenuiorem cerebri membranã transuersi copulant, vbi species a binis oculis receptæ, vna et simplex repsentatur. at distentis pter consuetudinẽ oculis, et dimotis superioribus neruis, vt trãsuersi coeant, res vna duplex apparet. Ab his aliud par est. qui graciles sũt, durioris materię. mouẽdi vim afferunt. At Aristoteles aliũ numerũ assignat cui⁹ sentẽtia nũc reddẽda est.

¶ De neruis oculorũ scd̃m Aristotelem CAP. XV.



AT Aristoteles ita de neruis oculorũ refert. Ternos iquit neruos ab oculis ad cerebrũ pertinentes natura constituit, ita vt maximi et mediocres ad cerebellũ tendant, minimi ipsum cerebrũ adeant. hi ppiores naribus oriũtur, maximi equidistant nec vsq̃ coire possunt. mediocres coeunt, quod pręcipue in genere pisciũ apparet. & cerebro sunt ij propiores q̃ magni, minimi perquam laxo inter se distant interuallo. & nunq̃ ob eam rem possunt coire. Hæc Aristoteles. Oculorum membrana cum ijs qui ad stomachum feruntur nexum habẽt, quoniã nulli sine stomachi redũdatione eruit̃ oculus.

¶ Secunda neruorũ coniugatio CAP. XVI



AT secunda coniugatio ad aures terminat, qđ Aristoteles constanter negat. Ex ea sensorium auditus constituitur, de quo suo dicemus loco. Si qua in his cõiugatio apparebit,

a toto diiudicabitur theatro, quoniã ea nuſq̃ apparet.

¶ Tertia neruorum ſyzygia. CAP. XVII.


Aec ad tubercula papillaria nariũ pertinet. id molle eſt ſenſoriũ ex cerebri proxima materia quę tenui omento integitur. odores enim ſentiuntur, quoniam ſenſorium temperatum eſt. inde ſternutamenta concitantur. Quibuſdam ea vis adempta eſt ſicut Fallerię contarenę noſtrę ex patricia gente. Quibus nares porrectę ſunt, hi olfactu valent, quomodo qui manum fronti admouent lõgius cernunt. Quibus grauiter olentia grata ſunt, id ex tuberculorum diſcraſſia contingit.

¶ Quarta ſyzygia CAP. XVIII.


Varta palatum tranſigit, ibiq; oblitteratur et ceſſat. alij ſextæ cõiugationis neruos huc putant pertinere, quę & linguæ, ſenſum guſtandi tribuunt

¶ Quinta ſyzygia CAP. XIX.


Vinta ad linguam partim pertinet, facieiq; buccas mouet, partim ſeptimę cõiugatiõi annectitur. vnde qui vltimam linguam tangũt, vomitiones concitant, nam ex eadem coniugatione nerui ad ſtomachum tendunt, qui & oculorũ membranis copulantur,

¶ Sexta neruorum ſyzygia CAP. XX.


Exta (vt denarrauim9) ſyzygia, ſimplex medulla eſt a cerebro poſteriori deſcendens, de qua ſequenti dicemus libro, vnde ſupra. xxx. neruorum coniugationes oriuntur. hanc ſeptimam maluerim in ordine et poſtremam appellare, quoniam poſtremo loco exit.

¶ Septima ſyzygia CAP. XXI.

NOuissima neruorũ coniugatio quã sextã alij volũt, a posteriore pte cerebri ad stomachũ, prçcordia, epiglottidem, ad vtranqȝ gutturis partem diffundit. Ex hac nerui constituunt qui conuersiui vocantur & vocales, qui rursus sursum feruntur ad epiglottidẽ. ab aliquibus toni vocant, ad vocẽ necessarij, cordis (hoc est volũtatis) prçnũtij. Reliquum ex hac coniugatione cũ gula, maiori ex parte ãnectitur, dispergiturqȝ ad imũ vẽtriculũ, ibiqȝ cessat. cçterum cũ cordis ĩuolucro copulatur, neruusqȝ qui in sinisteriore parte sitũ habet, omnibus fere mẽbris, quç supra septũ locant, cõmittitur. Ex eodẽ enim caluarıç foramento (vt res cognitu facilior sit) tres separati discurrunt nerui, quorũ primus ad musculos ceruicis fert et ad linguç postremũ, alter vero qui maior est ad scapularum musculos, & ad propinquiora, ibiqȝ cessat. Postrem⁹ ad spiritalia (vt diximus) viscera certo tramite iuxta venas, quas sphragitides vocam⁹, ibiqȝ cõmittitur. E regione sũmi gutturis idẽ ramus quandã nerui sobolem spargit, quç mouẽdi vim gutturi eiusqȝ ptib⁹ tribuit. reliqua pars eiusdẽ ad pcordia, retroqȝ fertur, vnde cõuersiuos neruos vocam⁹, quib⁹ cõcisis homo statim obmutescit, & inflãmatis vox afficit. Hi nerui nõ protin⁹ a cerebro ad vocis officiũ a natura cõstituti sunt, ppterea quia cõueniens iter nõ esset, vt qđ deorsum cõducere oportet, in superiore pte sit. Melius igit est, vt prius ad pcordia deferãtur, rursusqȝ sursum pcedant. Quare maiorẽ (Galeno teste) duriciẽ obtinent, robustioresqȝ fiunt quo magis a cerebro sui initio distãt. qua de causa quo breuiores, eo molliores sunt nerui. Ij igitur duriores a cordis calore facti, voci cõmodiores reddũtur, alioqui cõtinenti sermone facile oppri-

merentur. cerebro cordiq; non imerito copulantur, vt ab illo in quo sensifica vis est, atq; cogitatio, & ab hoc in quo mens ipsa, atq; animus inhabitet, voluntatiq;, et animi cōceptibus sine internūtio parere possint.

De syzygijs alia obseruatio CAP. XXII.

SYzygias alij alio modo obseruauere, vt cursim referam⁹, binas ad oculos deferri, vnam ad narium tubercula, ad palatum aliam, quę vtrinq; iuxta dentes finitur, quę aliquib⁹ animalibus duplex, quibus maxillę longiores sunt, aliam ad buccas & labia quę ad oculos subterlabitur, exitq; sub medijs oculis, vna ad linguā. A urib⁹ nichil respōdet a cerebri materia sed a mēbrana tantum. Alia est quę per spinā interfluit. Alia item quę maxillę inferiori motum pręstat. Alia iuxta ceruicis originē ad colli robur. Pręter hos neruos quidā ad sup̄mā caluariā feruntur, quib⁹ cutis capitis, sed paucis, mouet̃, alijs ad aures vt mobiles fiant, quibusdā ad ambo supercilia, aliquibus ad alterū dūtaxat, sed hi perpetui non sunt. sic enim coniugationes q̃tum ad ortum earum coniugatim ꝓcedūt. attamē ad mēbra multifariā deferūtur ad stomachū, liguā, p̄cordia, epiglottidē, retrocedētes

De reticulo admirabili CAP. XXIII.

CErebro subest vtraq; mēbrana, q̃ circūambit. deīde os caluarię subiacet, qđ fūgosū est, vt leuius sit. in medio cui⁹ excretoriū foramē tum est. hac venę arterięq; ad cerebrū ꝑtinent, q̃ iuxta aures ferūtur, atq; in p̄tenues ramos sparguunt̃ et mēbranā cerebri custodē subeūt, cācellatim in cōtextū reticuli modū fibris coeūtib⁹ perq̃ exilibus. In eo vitalis (vt dictū est) sp̄us effusus, a cerebri virtute in sensificū sp̄ūm cōmutari haud dubio credit̃ a medicis nr̄is. Alii

in cerebri cauis hunc fieri putant, ex venis, & arteriis quas sphagitides siue iugulares ac parotidas vocam⁹. ferũtur, & ad mẽbranam tenuiorẽ spargũtur. qm̃ cerebrũ oĩno exp̃s sanguinis est, in qđ nulla vena cessat.

¶ De capitis osse validissimo CAP. XXIIII



S pręterea validissimũ quod cerebri fulcimẽtum est, ad sensoriũ olfactus pertinet. vbi superciliorum sinus sunt siue foramina, quę duplici osse constãt. Ij ad nares deorsum versus feruntur, superq; eos os frõtis finitur. ab ossibus superioris maxillę sustinetur. Imum os, neruorum cõiugationes penetrãt, & duplici valle infra tempora cauatˀ, iugo medio eminente, quod occipitis est processus, supra foramen spinę medullę, vtrinq;, os durissimũ lapideumq;, iugale vocatum, hoc argumẽto sicut a græcis Zingoides, quod ab inferiobus ossibus sustinetˀ. idem in ossa nasi diuiditur bina & oculorum vbi supercilia sunt. E regione superciliorum vbi nasus incipit, intus e frontis osse, mucro osseus p̃minet, qui tubercula papillaria diuidit, & a mucrõis latere, tenuissimum foraminulentumq; os adiacet, quo pituitæ humor ad nares distillat. At hoc in loco exemplum naturæ admirandę non præteribo. Quidam græcus Suirus nomine michi notissimus, in Chalcidis expugnatiõe in tempore sagitta vulnerat⁹, ductus inter captiuos a turcis, pręsanato quoquo modo vulnere, annis. xx. vitã duxit seruilẽ. tandem liber Cidonẽ venit, postq; quintũ annũ, dum aqua per ęstatẽ frigida os collueret, cõcitatis supra modũ sternutamẽtis, magno pruritu inter maximos conat⁹ prosilit e narib⁹ sagittę frustũ, digiti medij longitudie, ferrea acie, nec aliã vulneris notã reliquit. dũ id medicis venetis iter mira naturæ refero, aliq̃bus

non credentibus, alijs inter contentiones (vt fit) viā indagantibus, ecce ex improuiso Suirus græcus noster, qui forte tum Venetias venerat, rebus dubijs accitus, imo fide carentibus, sagitta demonstrata, quā miraculi gratia ferebat, testimoniū verissimū dedit, qui cum antea per annos. x. in vrbem non venisset, pro discutiēda veritate casu oblatus, non credētibus fidē attulit.

¶ De oculis CAP. XXV.


Aximam oculorū vtilitatem humano generi donatam, deorū munere existimauit Cicero ac Galenus, quorum causa caput cōstitutum sit. Hos palpebrę primum integūt, quæ vtrinq; genis innascuntur, quæ & palpebræ dicuntur. Hæ mollissimę sunt ne cōtactu aciē ledāt, ceu tegmētū, quod vallo pilorū quodā munitū est ad occursātia. vtręq; aperiunt, & in motu mira celeritate claudunt. In somno aut temulentia sponte cōniuent, inuoluntarioq; claudūtur. Confricatis oculis sternutamēta cohibentur, vel alterutra gena si quid in oculum inciderit decidere. Sub oculis genę positę sūt leuiter ꝑminētes, hypopię a Polluce dictę, q̄ sarmatis supramodum ad deformitatē naso minimo ꝑdeunt, quo in cęteris quasi muro interiecto, oculi non inutiliter latent. nā excelsis vndiq; partibus sepiuntur. Aperienda demū sutura est, quę a tēporibꝰ discurrit. Hoc maximū capitis forametū est siue ingens sinus. cōchos a gręcis dicit, quo nullꝰ maior est. deide nariū. oīum minimū auriū est.

¶ De causis colorum in oculis CAP. XXVI.


N homine oculi plus minusve humoris habēt. Q ui multū continēt, nigri sūt. quoniā humoris copia trāspici satis nō potest. Reliqui, varij sunt coloris pro humoris quantitate, vt in mari

q̃ facillime cógnoſci poteſt. nam vbi ſatis tranſpicitur, cæſium apparet. vbi minus, ceruleum. vbi prę gurgitis altitudine non pręfinitur, ibi atrum nigrũq; cernitur. qui autem inter eos ſunt, eo iam differũt quod magis minuſve ita conſtituti ſunt vt eadem cauſa cæſij acute interdiu cernere nequeãt, nigri noctu. Illi enim præ ſui humoris exiguitate mouẽtur magis a luce & rebus viſibilibus, quia ita humidi perlucidiq; ſũt, q̃ q̃ motus eius partis viſio eſt, qua lucida, non qua humida eſt. Nigri vero ab humoris copia minus mouentur. Lux enĩ nocturna exilis eſt, & ſimul quiuis humor per noctem moueri difficilius poteſt. Cõuenit autem eũ moueri, qua perlucidus eſt, neq; magis moueri q̃ congruum ſit. leuior enim motus expellit a vehemẽtiore. quãobrem qui aut ſuũ conſpectũ a colore validiore trãſtulerint, aut de ſole in opacum ſe contulerit, nõ cernũt. Motio enim quæ iã vehemẽs ineſt, impedit eam quæ extrinſec⁹ accidit. Viſus deniq; ſiue validus ſiue inualidus nequit res ſplẽdidas cernere, quoniã eius humor vltra modum afficitur & mouetur. Aegritudines oculorum vtrorũq; indicium faciunt. Glaucoma enim nigris oculis potius accidit, luſcioſitas cęſijs. Illud humoris copia, hęc ſiccitate innaſcitur. Viſus ille deniq; optimus eſt, qui moderatũ humorem continet.

¶ Qui oculi acute cernant CAP. XXVII.


Culorum medio pupilla eſt qua cernimus, cuius anguſtię non ſinũt vagari incertã aciem, & veluti canali dirigũt, ob idq; incidentia facile declinãt. Et pupilla quo anguſtior fuerit, eo magis acute cernit, ſicut qui ex foueis puteiſq; ſtellas interdiu cõſpiciunt, quoniã motus in vaſtũ non diſſipatur, ſed erecto tramite eiaculatur, ſicut ocu

li quos conditos nominamus. At hebetiores sunt qui nimium prominent, emisitij nuncupati.



¶ Quę vitia oculorũ sint CAP. XXVIII.

Culi (vt ad vitia trãseamus) ex omnibus animalibus soli homini diuerso colore visuntur, ceteris in suo cuiqꝫ gñe, pterq̃ i eqs, similes. sicut & vni deprauant̃, vñ strabonũ & petorũ cognomina, hęc enim vitia nutricũ indiligẽtia sępe contrahuntur. Mediocres oculi, optimi ab omnib⁹ habent̃. Crassis tenuibusqꝫ mẽbranis cõstat oculus. callosę enim firmæqꝫ materię propter frigora, caloresqꝫ cõstituũtur. In his humida saliua perpetua est, quoniã lubrici, ac mobiles propter occursantia esse debẽt, & lachrymarum inde copia iugiter emanat, vel vi vel sponte, frigore vel impetu. Circa pupillam nigrũ variat, ob id iris a quibusdam vocatur, quę atri coloris cernitur, vel nigri, glauci, cęrulei, cęsijqꝫ, nonnulis ruffi, fului, caprini, qui optimos mores indicant, & clarius cernere existimantur. Et modicus quoqꝫ situs optimorum morum inditium est, sicut quibus mediocriter conniuent. qui vero rigidi sunt, impudentiã notant. qui nimium conniuent, inconstantiam significant. At ex morbis, vt in attonitis, rigent. In oculis animus ipse inhabitare creditur, ob id osculãtur ita animũ ipm attingere existimantes. Oculorum alij nisi e longinquo contuẽtur. alij nisi prope admota cernunt. alij interdum hæbetiores noctu pręter cęteros cernunt. hi lusciosi siue Nictalope dicũtur. Hoc vitio infestatur Hermolaus noster, qui cum aliquid legendum haberemus interdiu eam diei partẽ michi tradebat, ipse auscultabat, vespera vero i qua nichil penit⁹ cernebã, accepto libro ille exactius legebat, dicebatqꝫ ita, mi Alexãder mala quãdoqꝫ

in bonum cedere. Quidā noctu expergefacti paulisꝑ aliquid contuentur cati more, mox paulatim tenebris se abducentibus nichil cernunt. Multis a somno protinus aperti oculi scintillare videntur.

¶ De membranis oculorum. CAP. XXIX.

SEptem membranis oculos vestiri recentiores existimant, quum quatuor siue tres dumtaxat doceat antiquitas. illi eni haud dubie decipiuntur, exteriores atq̃ interiores semitunicas, seu semiorbes diuersæ naturę existimātes. oculum enim prius in priorem & posteriorē partem secant, in illa quaternas mēbranas explicant, in hac ternas tantum quę prioribus copulantur.

¶ De cornea oculi. CAP. XXX.

PRima oculi mēbrana cornea vocat̃, quasi cornu trāslucido similis. ꝗa est, ꝑlucida, dura, neruosa, crassa, quę nec ĩ ꝓfundū agit, vt quidam arbitrant̃. ꝓpterea cęteris interiorib⁹ tunicis tantum applicat̃. limpida est ac nullius ferme coloris vt rerū visibiliū species siue imagines recipiat.

¶ De funda oculi. CAP. XXXI.

AB hac sequitur q̃ & ipsa callosa est, extrinsec⁹ cādida fundę figurę, vñ nomē, sanguineis venis ĩterdū suffusa vel felle, regij morbi primū indicium, angulis carnosis committitur, albugo dicitur, & candidum oculi, ab aliquibus rhagoides, rhogoides, æmathoides, charoides, appellatur. nam & sub ea humor est aquæ perq̃ similis. Huic prima ex interioribus connectitur, medium in intima parte oculū velans similis cum superiore naturę, scleroticam quidam nominant. Exteriorū tertia, quæ corneæ subiacet, phacoides, siue lenticularis dicitur.

Hanc in medio feneſtrauit pupilla, ad quã imagines pertinent. In ea colorũ numeroſa diuerſitas atq; differentia notatur, orbe ita vario per corneã tranſpecto.

Secũda & tertia oculorũ tunica CAP. XXXII.

HVic tunicę alia ex oppoſito, iteriori cõmittiť, quam ſecundam vocãt, ab aliĳs vero eodem quo ſuperior nomine thogoides appellatur. Alia item membranula q̃ tenuiſſima, quæ quarta inter priores annumeratur, quę arachnoides, ſiue amphibleſtroides vocať, quę cũ poſteriore naturę eiuſdem habetur cui coniungitur. eam reticularem tantum vocari putant.

Alter nũerus mẽbranarũ oculi CAP. XXXIII.

ALĳ tamen ex peritiſſimis authoribus has tunicas collectim pertractauere, ſummã tunicã ceratoiden ſiue corneã vocantes, quę vniuerſum oculum circũuelat, ſub qua in priore pte qua pupilla poſita eſt, humor ille aquę ſimilis eſt. Huic tunicę media ſubiungitur, modico foramine, vt feneſtra quædam concaua circa tenuis mediuſculo numeroſi coloris a cornea tranſpecto, vlterioribus partibus occulta & ipſa quoq; plenior, quã rhagoidem quidam vocant, oculum pari modo ambit interius, ſub his infra tẽuiſſima tunica aranei telę ſimilis, quã Herophylus medicus arachnoiden appellauit. Nõnulli vero ex recẽtioribus volunt corneã tunicã oppoſitę e regione membranę cõmitti, quã ſcleroticam nominauimus.

De hũorib⁹ q̃ iter tunicas ſũt. CAP. XXXIIII

INter has tunicas humores ſunt. inter corneã et ſecundam albus eſt, quẽ tranſeũt imagines ad chriſtalloiden. Hoc humore cornea intenta attollitur, eoq; conſumpto quod in morien

tibus contingit, cōprimitur, pupillaq́ꝫ exiccato cōtrahitur, ſicut eius nimietate dilataẗ. inde oculorū nubeculę, obſcuritates, ſuffuſiones, glaucomataq́ꝫ oriūtur, q̄ pupillę ꝑtē occupant. Angulos oculorū vexant epinyctides, pterygia, ęgilopę. Aciē ꝟo oculi quā mydriaſim vocāt, offēdit totos oculos epiphorę, aut ꝓcidētia.

De hyaloide humore. CAP. XXXV.

MEmbrana oculi arachnoides tenuiſſima humorē cōtinet, qui a vitri ſimilitudine hyaloides a gręcis vocaẗ, qui neq́ꝫ liquidus eſt, neq́ꝫ aridus, ſed quaſi humor concretus eſt, ab oui candido nichil differens, ex cui⁹ colore oculus, aut niger eſt, aut glaucus, vel ruffus, aut cęſius, cū ſumma tunica alba ſit

De criſtalloide CAP. XXXVI.

SVb his gutta humoris eſt concreta, oui albo ſimilis, a qua vidēdi facultas proficiſciẗ, chryſtalloides nominatur. Ob eam diuinū oculū vocat Galenus, gutta ipſa in partē priorem magis vergit, quę in parte poſtrema rotunda eſt, in priore leuiter plana, cuius videndi potentia in cerebro primum ſita eſt, vel in corde principali origine, quoniam multi hominum patentibus oculis dormiunt, corybātiam gręci vocant, ſic et in morbo comitiali aperti nichil cernunt animo caligante. animo igitur cernimus, animoq́ꝫ videmus. Plato de viſu. At ſi quis (inquit) colorum diſcuſſionem opere ipo aggredietur, quid inter humanā diuināq́ꝫ naturam interſit, ignorare videbiẗ. Nēpe Deus multa in vnum colligere, rurſuſq́ꝫ vnū in multa ꝓducere ſufficiēs eſt, ſcit enim ſimul ac poteſt. Eodē enī ferme momēto viſibilis virt⁹ & in corde et in cerebro cōſiſtere videẗ, ſicut de ratione, mēte, ac intellectu, cęteriſq́ꝫ animi viribus, quoniam in corde princi

pali origine consistere videntur. In oculis magna ex parte animi indicia habentur, leticię, amoris, odijꝗ blandi vel torui, sicut sęuitię truces vel ardentes.

¶ Quō suffusiones manu curētur CAP. XXXVII.

QVia suffusionū mentio habita est, hypochysim gręci nominăt, ab oculis solis medici ocularij dicti sunt, sed quomodo suffusiones acu curādę sint in cadaueris oculo ostēdendū est. Suffusiones enim varię sunt, quæ si exiguę, immobiles, colore aquę marinæ, vel ferri nitētis & a latere sensum aliquē fulgoris relinquunt, spes superest. si magnæ, si nigrę, et pars oculi amissa naturali figura in aliam vertit, si quę cęruleę sunt aut auro similes, si labant & hac atꝗ illac mouentur, vix vnq̄ succurrit. fere tamen peiores, quo ex grauiore morbo, maioribusꝗ capitis dolorib9, vel ictu vehementiore ortę sunt, neꝗ idonea curatio si senilis ętas est, quę sine nouo vitio, tamē aciem hebetē habet. At ne puerilis quidē, sed inter hæc media ętas. Oculus quoꝗ curationi, neꝗ exiguus, neꝗ concauus satis oportunus est, atꝗ ipsius suffusionis quędā maturitas est. Expectādum igit̄ est donec iam nō fluere, sed duricies quędā cōcreuisse videat̄, nostrę ętatis medici ad maturationē festinādā cibos exhibēt malę qualitatis, vt malis inde vaporib9 festinet̄ maturitas morbi. Ante vero curationē modico cibo vti, bibere aquā triduo debet, pridie ab oībus abstinere. Post hęc i aduerso sedili collocand9 est, loco lucido, lumine aduerso sic vt cōtra medic9 paulo altius sedeat, a posteriori aūt parte, caput ei9 qui curabit minister cōtineat, et imobile id p̄stet. nā leui motu eripi acies imperpetuū potest. Quinetiā ipse oculus q curabit imobilior faciēd9 est, super alterum Gossipio vel lana imposita et deligata.

Curari sinister ocul⁹ dextra manu, dexter sinistra debet, ambidexter siue scęua vtraq; manu prōptus. tum acus firmior esse debet, et qua parte manu tenetur crassior ne manū effugiat, eaq; demittenda. Sed recta est qui summas tunicas medio loco inter nigrū oculi & angulū tēpori ꝓpiorē e regione medię suffusionis, sic neq; vena ledatur. Neq; tamen timide demittenda est in viuentibus, quia inani loco excipitur. ad quē cū ventum est, ne mediocriter quidē peritus falli potest, quia prementi nichil renitit̃. Vbi eo ventū est, inclināda est acus ad ipsam suffusionē, leuiterq; ibi verti, & paulatī eam deducere infra regionē pupillę debet. Instrumēti enim acies per corneam veluti per vitrū transpicit̃. vbi deinde eam mouet vehementius, deorsum imprimere debet, donec inferiori parti insidat. Si hæsit, curatio finita est, sed ad reliquas capitis ꝑtes transeamus.

De auribus. CAP. XXXVIII.


Vres semꝑ patent, quoniā sensus is etiā dormiētib⁹ necessarius est, vt a sōno excitemur. extra eni ꝓminent dictę cypseles patulę, nostri sinuosas auriculas, quę cochliæ dicuntur, ne adiectę voces labantur. propterea duros flexuososq; introitus habent, qui scaphi appellantur. ijs repercussus sonus amplificatur, summa auriū pars alula dicitur, infima lobus. In hoīe ita collocatę sunt vt superiore alula aerem recipiāt. chartilaginosæ sunt, quoniā ꝓminent, alioqui flaccidę sonū impedirēt. homo pro magnitudine minimū fere omniū aīaliū procul sentire potest, cū tamē differētiarū sensu maxime omniū valeat. cui⁹ rei causa est, ꝙ sensorium sincerum, minime terrenū, corpulentūq; obtinet. Sonus (vt Platoni placet) per aures cerebrūq;, et sanguinē vsq; ad aīam penetrat, in sedem

iecoris. Aristoteles vero inqt ab aurib⁹ meat⁹ ad occipitis partē penetrāt, sicut oculorū ad venas circa cerebrū sparsas tendūt. Alibi, olfaciēdi (inquit) audiēdiqꝫ meatus cōtingunt aerē externū, pleni spiritus natiui, ortiqꝫ a corde tendunt ac desinunt ad venulas cerebro cōiūctas. Rursus alibi. Meatus (inquit) sensoriorū omnium tendūt ad cor, indiciū differentiarū tū soni tum odoris in sinceritate sensorij sūmęqꝫ mēbranę positum est. In his sordes sūt cōcoctu amariores. Qui bilē hac parte purgari cōtendūt, meatuū rōne facile cōuicunt. his aditus bestiolis irrūpentibus difficilior fit, quibus tanq̄ visco cōtinētur. In imo anfractu mēbrana posita est, quā meninga vocāt. Hac aeris ictus desinit, qui ad cerebrum vicinitate defert, quoniā ea mēbrana a cerebro est, cuius cōnexione, linguę annectitur. Quapropter verba ediscuntur, quę prius audiunt, deinde ore pronūciātur. qualis enim motus per sensoriū subierit, talis quasi ab vna eadēqꝫ effigie motus per vocē agit, vt quod audieris idē referas. Hos meat⁹ ad cor ptinere asseuerat Aristoteles quē Auerrois sequit. qđ oscitantes, aut caput scalpentes, aut labore vehemēter spirātes, minus audiāt, qđ in cęteris sensib⁹ nō cōtingit, quoniā extremū sensorij auditus ad partē spiritalē terminetur, & quatiatur, moueaturqꝫ vna cū instrumēto spiritali, quotiens illud spiritū mouet. magno item argumento, aures purganti tussis excitet, sicut narium sternutamenta. Mēbrana si humore aut spiritu afficitur, surditatem affert, grauitatem, murmura, sibilos, tinnitus, aut alios incertos sonos mentit. Sub auribus strumę innascūtur, iportuneqꝫ radicātur, sobolęqꝫ iter remedia sępe rebellant, post quas parotidę tument.

¶ De naso. CAP. XXXIX

EMinentior faciei pars est nasus, chartilagineosus. ab osse incipit quod est inter supercilia, ethmū nominauim9, qui in globulū desinit. mouetur in homine labrorū superiorum motu, in canibus sua neruorum syzygia mouentur & cōtrahuntur. Hac parte aerem trahimus, reddimusq;. hinc sternutamenta ciuntur, quoniā ad cerebrum certam viam habet. Recte enim in superiori parte constituitur, quoniā odor omnis ad superiora fertur. cibiq; ac potus primum indicium facit, ob id oris vicinitatem consecutus est. In homine vis odorandi imbecillior est cęteris animalibus, ob id vehementer attrahit, sicut cum aquam rosaceam odoramus. hinc mucosum humorem trahimus, & cerebrū perpurgatur nec commodius. Pilos in vtroq; sexu nō inutiles habet ad puluerem & alia depellēda. Quod nares discriminat, intersептum vocauimus. Harum foramina interiora a quibusdam thalamæ, vnde pituita distillat. lacus siue torcular. inde ad imas nares foramina simplicia sunt, quæ rursus in bina itinera diuidūtur, ad fauces peruia spiritus reciprocantur, de quibus suo loco diximus, summę ossium angustię, isthmoides vocantur. In quibus ozena vlcus fœdi humoris distillantis innascitur. Polypus & carcinomata infestant. Nariū vena si inciditur, adeo sanguinem indesinēter quādoq; fundit, vt sistendi modus non sit. Aetate nostra narium deformitatem cohonestari docuere ingenia, carunculā e brachio suo cōcisam ad narium formā conseri addiq; trūco naso sæpe visum est. Summā enim cutē brachij nouacula excidūt, facto vulnere, abrasis si opus est naribus vel nouiter abscissis capiti brachium deligant, vt vulnus vulneri cohęreat, cōglutinatis vulnerib9, e bra-

chio tantũ cultello demunt, quantũ inſtaurari conueniat. Naſi enim venulę, cognatę carũculæ alimentum prębent, cutiſq; demũ ſuperinducitur, pilis quandoq; pro brachij natura innaſcẽtibus, eoq; modo nares nouas miro ſtudio cõponunt, foraminaq; faciunt audaci ingenio naturę imperantes. Id additamentũ hyemis vehementiam vix ſuſtinet, & curationis initio naſum ne pręhendant, moneo, ne ſequatur.

De maxilla inferiore CAP. XLI.



MAxillæ inferioris pars prior mentũ dicit̃, poſterior mandibula, illud ſupplices veteres attingebant. mandibularum extrema quaſi bicornia ſunt, alterum ꝓceſſum probolẽ græci vocant, intra latior eſt, verticeq; ipſo tenuat̃, longiuſq; procedẽs, iugale ſubit, & ſuper id temporũ muſculis adalligatur, alter breuior & rotundior. In eo ſinu qui iuxta foramina auris eſt, cardinis mõ cohæret, ibiq; huc & illuc inclinans maxillę facultatẽ ad motũ p̃ſtat. Maxillę buccis integuntur, quę hilaritatẽ riſumq; indicãt, quę muſculis ſuis permobiles fiũt. Hoc in loco vulnerum magiſtros admonendos eſſe oſtendit reſecandi ars, vt cum labra, buccæ, frons, ſupercilia, aliquo caſu reſecanda ſint, in illis a naribus deorſum, in his a vertice ad oculos ſectiones ducantur. Maxilla ſępe ꝓpellitur in priorem partem, modo alterutra parte, modo vtraq;, ſi altera, in contrariam partem mentũ inclinatum denteſq; paribus non reſpondent, ſed ſub ijs qui ſecant, canini ſunt. At ſi vtraq;, totũ mentum in exteriorẽ partẽ promouet̃, inferioreſq; dentes lõgius quã ſuperiores excedũt, intẽtiq; ſuꝑ muſculi apparent. Et quomõ in ſedẽ ſuam cõpellat̃, a Celſo & poſterioribus quęrendũ eſt. Hinc ad venas & arterias trãſeundũ.

In librum quintum Anatomices.

¶ Alexandri Benedicti physici, De venis musculis ossibusq;, neruis qui p oẽs corpis ptes feruntur. CAP. I.



VM enim oĩa corporis mẽbra nutrimẽto cõtinuo indigeãt, per vniuersum corpus veluti in rigãdis pratis aquę duct⁹ varios deducũt, ita spirit⁹ & sanguinis deriuationẽ ad irriganda mẽbra constituit Deus occultis sub cute meatibus. Per neruos pariter, & si nõ ab vno stipite prodeãt, ad oẽs corporis ptes sensuũ semitę deducuntur, arboris radicũ, & fibrarum more. Ex spina quoq; brachiorũ & femorũ ossa costęq; oriunt, dura, stabilia, grauia, veluti stabile fundamentũ totius corporis. Ob id rigida, aridaq; cõstituta sunt, sine sensu, quoniam ad dolores prompta ppetuo essent, quorũ extrema sibi cohęrẽt, alterũ cauum, alterum rotundũ, aut vtrũq; cauũ medio talo. oĩa neruis deligantur, veluti ex pluribus lignis, clauis coniuncta atq; fixa sit nauis. Quãobrẽ Caballe Iacobe, Angele auuncule, Antoni fauentine, Hieronyme Cordi, Domiti Gauerde. Et ex patricia gente Luca Donate ex Andrea, & Marine Sanute ex Leonardo progeniti, in omni re naturali aliquid mirandum conspici potest, & quia magna ex parte theatri nostri turba continuis diebus ac noctibus defatigata sedilia complura vacua ac gradus reliquerit, ociosius venarum, arteriarum, musculorum, neruorum, ossiumq; naturam percunctabimur. nec vt in cæteris priori ibus spectaculis nos opprimet importuna iuuentus.

Cum paucis quę contueri alij nō cōcupiſcunt, inquiſitius conſiderabimus.

De ſanguine & ſpiritu. CAP.II.

SAnguis homini inter animalia maxime abūdat, in quo animā ſedem habere exiſtimauit vana antiquitas, ꝙ eo effuſo ſtatim hominē mori neceſſe ſit. Hic in corde tanq̄ in fonte, et in venis tanq̄ riuulis qui ab eo oriunť, cōtinetur. ex ſanie per concoctionem generatur. ſpiritus quoqꝫ a corde originem habet, & ahorta eius conceptaculū. Attamen ſanguinē ſine ſpiritu nec ſpiritū ſine ſanguine inueniri poſſe haud conſtat. Cor ſpiritu palpitat præterq̄ in defectu. Et homini vni omniū animalium ſpe exſpectationeqꝫ rei futurę mouetur. Spiritus puriſſimum ſanguinē continet, quem mediū cordis domiciliū per venam ambientem recipit, prius tamen in cordis materia digeſtum. Sanguinis venę nunq̄ mouenť, at ahortæ eodem modo quo palpitat cor, pulſāt. quarum repercuſſu, ex ebullitione ſpiritus in extrema corporis fieri contendunt, quales maris motus circa littora cernūtur, vel quales ſurſum mittit hamula ebullitiōes dū feruet. Alij hos motus arterijs attribuūt, hoc eſt contractionem, atqꝫ diſtinctionem. Illam ſyſtolem, hanc diaſtolem vocantes. Indicio eſt ebullitionis ſiue ęſtuationis ahorta vulnerata aut pręfecta, quoniā ſpiritus diſtincto impulſu per ſaltus emittitur. Eodē modo in coitu ſemen quoqꝫ virile proſilit, ebullitionis āndictæ certum argumentū. At poſteriores medici ſpiritus cōtrahi atqꝫ attolli arbitrātur, duoqꝫ inter cōtrarios motus interualla addidere, quod conceptaculorum motibus dūtaxat intelligi neceſſe ſit. Sanguis integer rubēs eſt, dulcis, tenuis, purus, ſi corpus valens eſt, ac ætate

media. culpatus, ater est, vel aquosus, vel nimiũ biliosus siue nimiũ crassus, malisue saporis. Pręe pinguibus minus q̃ macris sãguis ĩest. Sudoris vice sanguis emittitur tenuis, quod ex ictu hęmorrhoidis serpentis fieri in libris venenatorũ diximus. Et in Christo deo nostro inedia, mœrore, laboreq; exhausto, sudoreq;, sanguis vndiq; ꝓfluxit. Qui dormiẽtib⁹ extrema corporis deserit, intima repetit, quod alsiosis quoq; cõtingit, vel metu correptis. ijs venileca adacto scalpello venã frustra vulnerat. In meseraicis sanies generatur ex cõcoctione, colorẽq; dilutum cõtrahit ex succo stomachi et intestinorũ. si putrefit sãguis, in pus & malos humores permutatur, concalescens in poroides transmutat̃. Ex bono sanguine adeps generatur, ex corrupto vitiligines, scabies, lepra, verucę. In iecore ac pulmonibus lapidis duricia cõcrescit. Iuuenib⁹ sanguis tenuis est ac pur⁹, senectuti vero crassior ac nigrior, glutinisq; modo lentus est, ętate media mediocris cernitur.

¶ De vena maiori & ahorta. CAP. III.

EMotis intestinis omnibus, ac spiritalibus mẽbris, binę venę grandes secundum spinã apparent, altera maior, altera minor quę posterior est & ahorta appellatur. vtranq; a corde oriri certum est vbi quinta spinę vertebra sita est, ab eo enim tanq̃ a radice crassioribus stipitibus proueniunt, in iecore vero & pulmone (vt dictũ est) exiliores venæ per mediam veluti materiam transigunt, illarũ enim propagines sunt. Ex corde sanguinem & spiritum venæ recipiunt. in viuis vix cerni potest, vt quemadmodum se habeant consideremus. in cadaueribus summa venarum principia vix conspiciuntur. Ahorta namq; ob id dicta est, eo ꝙ neruosa eius pars cõspici euidentius

in mortuis poſſit, ſitu autem eo cōſtitutę ſunt venę, vt altera ſupra, altera infra ſit, maior dextram potius ſedem, minor ſiniſtrā poſſideat, quę de ſinu medio cordis exit, arctiori fiſtula a latere ipſius. illa ex ampliſſimo ſupremoq; ſinu oritur, ſedemq; dextram tenet, mox per medium ſinum formam recipit venę, vt pote cum ipſe ventriculus cordis venę maioris particula ſit, quę ſua radice cor tranſigit cum ſeſe promit. hęc membrana & cute conſtat. Ahorta vero maxime neruoſa cernitur, ſic natura, ſanguinis & ſpiritus riuos per totum corpus digeſſit. quod euidentius cernitur in macris ac extenuatis, in quibus plures venę apparent, ac maiores, vt in arborum folijs areſcentibus, in quibus venę tantūmodo relinquūtur, cuius rei cauſa eſt quod ſanguis, & quod ſanguini proportionem habet, potentia ſit corpus & caro, aut quod iis proportione reſpondeat. Venę item corporis ampliores durant, minime autem carnes actu efficiuntur, q̄q̄ potentia nichilominus venæ ſit, q̄obrem & ſi caro ſit. Medici tamen noſtri alios humores inter carnem & ſanguinem attribuūt, ſanguis itaq; in omni carnis parte habetur, qui inducto vulnere vndiq; effluat, igit̄ ſine vena eſſe non poteſt, vena autem nulla manifeſta eſt. Ex his venulis ſudor elicitur in roris modum, vel flaua bilis fœdi odoris, aut lentiginis modo conſparſę maculę in febribus aut verrucę ex atra bili. In ſanguinis præterea materia quoddam genus fibrarum eſt, quod ſtamen ſiue filamen appellare maluerim, ines a gręcis vocatur. Id nec in omnibus animalibus, ſed his tātum quibus firmiore coitu concreſcit. Id enim ſi detrahitur, vt ceruis & damis, tum ſanguis non coit, niſi fluido coitu,

quale lac ſine coagulo ſpiſſatur, ſed in ſanguine conſpi cue cernitur ſi in calidam aquam ex vena colligitur.

¶ De ramis venę maioris & ahortę CAP. IIII.


Ena maior ſurſum aſcēdēs in duos riuos ſcinditur, vt veniſecij ratio omnis abſoluatᷓ, quorum alter pulmones ſubit bipartito ramo, quoniam pulmo duplex eſt, de quib⁹ ſuo loco dictum fuit, cum de pulmōe egimus. Alter per ſpinam deſcendit, & ad collum ſurſum verſus porrigitur. vbi duplici propagine grādiore fertur, ad dextram & ſiniſtram, quę vtrinq; priuſq̄ alas ſubeant, venas ſingulas deorſum verſus ab vtraq; ſpinæ parte ad ſingulas coſtas, quas. vij. eſſe indicauim⁹, totidēq; ad vertebras emittunt, quę & pectus nutriunt, in minoribus animalibus (vt animaduertimus) vna tantum vena eſt, quæ ſecundum ſpinam a dextra parte deorſum verſus tendit, et vtrunq; tamē coſtarum ordinem nutrit. Scinditur etiam bipartito vena maior iuxta vertebram qua ſupra renes poſita eſt, ſed rurſus parte ſuperiore, quæ ex corde protēdit ſciſſa numeroſiore venarū ꝓpagine, duo petit loca. quippe quę alias in latera & humeros mittat, quæ mox per alas ad manus feruntur. Ex eiſdem ramis ſupra iugulum vbi ſcinduntur, ex vtraq; parte gutturis ſurſum ducuntur iugulares dictę ſiue ſphagitides, quę foris appręhenſę corruere hominem faciunt ſenſibus ereptis. Itaq; porrectę amplexęq; arteriam ad interuallum aurium feruntur, qua maxillæ faucibus coeunt. Denuo inde ſcindūtur in venas quatuor, quarum vna remeans per collum & humerum deſcendit, & cum priore propagine ad flexum brachij

copulatur, Cęphalica dicta. secunda ad palmā et digitos cessat, tertia de vtraq; sede aurium ad cerebrū pertinet, atq; in multos prætenues ramos spargit, & mēbranam cerebri custodem subit, quod posteri rete mirabile appellarunt. Reliqui rami, partim ambiunt caput partim ad sedes sensuū, palatū, linguam, dentesq; gracili venarum serie terminantur. Pars autē venę maioris cordi subiecta, quę elatior (vt dictū est) fert, per septum transiens iecori annectitur, inde ab ipsa iecur trāsigente, rami duo procurrūt, alter ad septū & præcordia cessat, alter supera petit, ductusq; per alam ad lacertum brachij dextri se porrigit, quę cęteris venis se applicat, iuxta flexum interiorem. Quamobrē sanguine hinc misso, dolores iecoris ac affect9 fere omnes, sicut oppillationes apostemata & similia leuari possūt, regalis vena dicitur. Pars altera venæ eiusdem breuis quidē, sed crassa, petit lienē, ibiq; aboletur. Quinetiā ab eadem maiore propago pari modo ad lacertū sinistrum brachii mittitur. sed quę ad brachium dextrum procedit, eadē quæ pertingit ad iecur est. Aliæ item a vena maiore duę propagantur, quarū altera ad omētum, altera ad pancreum, de qua, venarū frequentia ꝑ messenterium tēdunt, quæ omnes in vnā desinunt venam grandē per totum intestinū & ventriculū ad gulam vsq; porrectā, quæ & ipsa ramos de iis, quos perreptat, partibus spargit complures. Vtraq; igitur maior et ahorta renum tenus (vt dictum est) vna atq; perpetua tendit. Hic capitibus renū potius adhęrescunt, finduntur q; bipartito veluti in literā V inuersam. vergitq; magis in partem posteriorem corporis vena maior quam Ahorta. Reliquę propagines, vbi interiora mēbra descripsimus, dictę magna ex parte sunt, quas

per ordinem rursus percurrisse non fuerit alienum.

¶ De vena medij frontis & tẽporum CAP. V.


Ena frontis quæ & media dicitur, in plerisq; turgida cernitur. In amentibus, attonitis, veteri capitis dolore vulneratur, vel si dolor est in occipitio. ex alto enim materiam trahit. In apoplexia sphagitides apertę mire proficiunt. quæ in temporibus sunt sinuosę, in oculorũ malis cõmode feriuntur. Et parotidas suffusionis initio alij eas adurunt, sicut & temporũ. Dissectores post hęc brachij cutem vniuersam dirimãt, vt venarum indicetur reliqua natura.

¶ De cõmuni vena brachij CAP. VI.


Ecoraria vena iecori, vt supra dictum est, cephalica capiti prodest. his annexa cõmunis dicitur. priores ad manum extimã ferũtur & digitos. Sub iecoraria, arteria protẽditur, ob id periculose inciditur, prodigioseq; venã scandit, quę pulsu percipitur. Cephalica inter pollicem & indicem finit. Inter minimos lienaria (vt volũt) & iecorariæ vicaria sita est.

¶ De venis quę renibus copulãtur CAP. VII.


Ecori, lieni, ac renib9 vena maior copulatur, in quib9 veluti anchoris stabilitur. ita et ahorta in suis mẽbris. in renibus generatiõi materia pręparatur, vnde in affectis pro genitura sanguis profluit, de qua dictum est.

¶ De cęteris venis CAP. VIII.


N ceruice vena est quę hemicranicis secatur. colli venę & quę post aures sunt, aperiũtur. In naribus sub lingua, in angina & vua, sub labro, sub iugulo, sub dextris præcordijs. ex sinistris quoq; in iecoris et lienis malis. Ex poplite ischiadicis,

ex talo in vulueę vitijs. Supra calcē in extima parte ísci-adica eadem vena eſt, vel inter minimū & ſequētem, queę omnia detracta cute a peritis indicāda ſunt. ſemel hoc loco dixerim venarū ſitum, ſicut & de ſuturis oſſi-um cōmemorauimus, non ſemper perpetuū eſſe, imo plurimi ſunt quibus variant venarum riui. ſed de ahor ta iam percurrendum eſt.

¶De ahorta CAP. IX.



Ena ahorta eodē fere modo in ramos ſpar-gitur, qui riuulos venæ maioris conſequūtur, venaq; fere ſemper ſuper prætenditur. cuſtos enim alterius videtur, prĕterq; in lacertis & fe moribus vbi arteria venam, mutatis vicibus, altera de parte dextra in ſiniſtram, altera de ſiniſtra in dextram ſcandit. Pericula enim ſemper, atq; incidentia auertit natura, obiectat enim ſemper ignobiliorem partem. Ahortæ riui vbiq; minores ſunt, ſed robuſtiores tuni-cas habent q̃ venę. Et ſpinę annectitur binis per inter-ualla venulis tot numero fere quod vertebris prĕtenu-ibus, Ac neruis item alligat᷑ cordis, ex quo inſignis ve na producitur. Ad meſſenterium ramos mittit, ſicut et vena maior, verum longe minores. per anguſtos enim in fibras proximos. quippe quos extenuatos in fibras cauas tamē ceſſare aduerterim⁹. Ad iecur nulla ahor-ta pertinet vena, at renum tenus, ſicut & maior findi-tur bipartito in literam. λ, & in materiam eorum ab-ſumitur. venæ a renibus quæ non ſunt a vena maiori, ſed ab ipſis exeuntes in vtranq; coxam cōduntur, ac deliteſcunt ac denuo porrectę ad partes (vt dictū eſt) genitales tēdunt. Ad vterum de ahorta multę, frequē teſq; veniunt, ſicut & rami qui ad reliqua inteſtina per-tingunt. Et qui circa gutturis partes arterię pari modo

ascendẽtes ad caput ꝑotidas vocant, quę ſurſũ verſus procedẽtes vltra aures ferunt, quę pręſectę ſterilitatẽ afferunt, ad cerebrũ & eius mẽbranã cuſtodẽ tẽdunt, reticulũ illũ conſtituentes ramis maioris venę comitantibus.

De arterijs crurum. CAP. X.

EX ahorta iuxta ĩguina rami duo ad crura deſcendũt, per femora crura in plantas vſq; & digitos finiunt, eadem ratio eſt & in brachiorum arterijs.

De venis & arterijs quæ mutuo inter ſe reſpondent. CAP. XI

MIro experimento conſtat inter authores venarum certas propagines inter ſe reſpõdere. Galenus in ſomnijs monit⁹ eſt, vt iecori grauiter laborãti, vena quę inter pollicem & indicem ſita eſt, ſolueret. paruit viſis, et liberat⁹ eſt ęger. Id quoq; non ſpernendum eſt, ꝙ Diogenes medicus tradidit, et ipſi quoq; experti ſumus in maximo ſtomachi dolore, ex iecoraria vena vel lienaria ſanguinẽ mitti plurimum prodeſſe. Pollibium phyſicum increpat Ariſtoteles, quod venam a frõte per ceruicem collum ad ſpinæ latera ad clunes, per femora et tibias, ad malleolos exteriores, ad digitos minimos ꝑtinere tradiderit. quę ſi vulneratur, capitis doloribus ſubuenire. Ariſtoteles enim nõ experimentũ ſed viam redarguit, quam Pollibius ita temere credidit. Et ſi venæ omnes ad vnã cõueniant, eadẽ de cauſa in ceruicis dolore poplites fricari ſuadet antiquitas. In nariũ ꝓfluuio teſtes frigida foueri pręſidiũ eſſe, vel extrema perſtringi. cucurbitula ſub mãmis impoſita menſiũ ꝓfluuia ſiſti, inguinũ tumorẽ pollex in pede proximo digito ꝑligat⁹ ſedare tradit. In manu dextra duo medij lino leui-

ter colligati diſtillatiões atq; lippitudines arcent. Hęmorrhoidibus atra bilis expurgatur in certo ex liene tramite. Alię quoq; ſimiles latentes propagines habētur, ſed de his ſatis dictū ſit. Idem in neruis obſeruandum eſt, quoniam nariū pruritus ventris animalia gulam infeſtari indicium ſit cõiugatorum neruorū (vt dictum eſt) colligatione. Excitari quoq; tuſſim animaduertimus cū aures interius repurgantur.

¶De mēbris ad quę ſanguinis venę tantū deriuãt, ad quę ahorta dūtaxat, vel vtraq; ptineat. CAP. XII.


D cerebrum vtraq; vena tēdit, ſicut ad renes, ſtomachum, omentū, meſſenteriū, pancreū, linguam, oculos, pulmones, ſeptumq; tranſuerſum. In iocinere venę ſanguis tantū apparent, ex ahorta nulla, quoniam ipſius miniſterio ſanguis concoquitur & ad cordis ſinum tranſmittit. Verū ſubinde eundem recipit, qui ſpiritu non caret vitali, & in fibris concoctus recipitur. cui enim fibrę gibbi reſpondent in tanta venarum exilitate, ea virtus Alloeotice dicitur. In corde vero nõ in fibris, ſed ĩ cordis ſubſtantia cõcoquitur ad ſpiritus gñationē. At in pulmone fibrę ſanguinis & ſpiritus, aeris fiſtuloſis meatibus miro naturę opere nõ reſpondent, in tanta fiſtularum ſpectãda ſubtilitate, ad vuluã nulla ex vena (vt dictū eſt) pertinet, quoniam exiguo ſanguine indigeat. Ex ahorta vero plurimę cõueniunt.

¶De fibrarum ratione. CAP. XIII.


Via de fibris mentio habenda eſt, ideo de his aliquid hoc in loco referendū arbitror. fibræ enim inter neruū & venam naturam habent, ex quibus nõnullę humorē, ſaniem dictū cõtinent. Nã nerui non ſunt, quoniam ſanguinem attra


hũt, nec venę, quoniam durę sunt, nec cauę reperiunt̃, saniem in se continent, sicut venę sanguinẽ, Arteriarũ tamen fibræ nõ saniem, sed exilem spiritũ continẽt, & in spectãdã tenuitatẽ in membri substantiã desinunt. A neruis ad venas ac inde ad neruos pertinent. Nullę in renibus reperiũtur, in corde pauciores, plurimæ in pulmone & iecore. Fibrę in animalibus partim cute, partim mẽbrorum materia integũtur, in plãtarũ vero radicibus exertę sunt, in vtero vero vmbilici fibrę plurimum cõspicuę, quę attractrice vi sanguinem per secundarũ venas ad fœtus alimentũ infundũt. In fibris omnibus cõmune vitium est crasso humore obstrui, quod oppillationem vocam⁹, atq; ita elãguescere, breuiq; hominem consumi. Arescunt enim paulatim mẽbra, sicut frondes conuulsis arborũ radicibus. Stomachus enim & intestina pro terra est, cibus vero, ac pot⁹ alimoniã p̃stant. Qui materiã rerũ comestarũ integrã subire putant, plantarũ etiãnũ argumento cõuincunt̃, quoniã fibrarũ exilitas capillamẽtaris eorũ inscitiã redarguit. Quidã q̃ inter magnos medicos habit⁹ est, fũgi frustũ per vesicã emissum se vidisse prędicabat, sed acus illius exemplũ per vrinã redditę plurimos dissectionis ignaros cõmouet, qui eã per venas messenteriacas a stomacho ad iecur, ac per venã maiorem ad renum angustias, inde ad vesicã penetrasse falso arbitrãtur, ora fibrarũ in viuentibus patẽtiora esse ad acũ & frustũ fungi suscipiẽdũ putãtes. Acus eni acie sua paulatim multoq; tẽpore intestina penetrauit. viã enĩ sibi facit quod a natura propellitur. & ad vesicã qua parte carnosa est, inde per vrinã reddita, sicut & sagitta quæ acie aluũ biennio secuit, q̃d miris cõprobatur exẽplis.

De neruorum origine CAP. XIIII.



Eruorũ ratio in dissectionib⁹ minus patet. Verum qui eius originẽ, propagines, ac nexus contemplari distinctius volunt, corpora integra variis ligaturis obligata flumine macerãda cõstituunt, euulsis interaneis, detractaq; cute. caro enim protinus marcescit, & quicquid molle inuenitur. nerui vero ac nexus ossibus contumaciter hærent, qui demum sole exiccati varios contextus ostendunt, sed contractationis fœditas medicos ab his deterret. In corde neruos oriri (quia primũ omnium mẽbrorum quod generatur est) sine cerebri auxilio, inter quos neruosa ahorta est. Ceterum natura neruorum a cerebro eiusq; vicaria medulla originem magna ex parte habere cernitur euidentius, qui quo magis a cerebro et medulla longius protenduñt, eo duriores sũt. sicut quos vocales diximus, quidam musculis accommodati sunt, quidam membrorũ flexib⁹, qui nomine vacant, ab aliquibus nexus vocantur, rotundi chordę dicũtur, neruus latus humerarius a gręcis platys diciť qui ad vires facit. Ceruix & scapulę maxie cõtinenť iis q tentõdes vocãtur. caput eni sustinẽt vtrinq; recti valentesq; nerui. siquidem horum ad omnes fere flexus alter semper intentus est, nec vltra prolabi superiora patitur. neruus alius latus est, qui poples dicitur, calci annexus, membrũ ad saliendũ idoneum reddens, sub suris ad incedendum, & ad cursus necessarius. De neruis capitis diximus. pedes & manus neruorum copia abundant, in quibus neruorũ circa articulos intextus videre, quam litteris exprimere magis iuuat, quod resectores ostendere necesse est. Restant quæ ex spinæ medulla oriuntur.

De neruis q ex spinę medulla oriunť CAP. XV.



SPinę medulla a cerebro descēdit, quę p̄tenui etiam membrana velat̃, si inciditur, mortifera est, sicut & quę cerebri custos dicit̃. Ex medulla plurima neruorū genera oriuntur. Nā vtrinq; per vertebrarum foramina a ceruice vsq; ad os sacrum vna & triginta neruorum syzygiæ prodeunt. a qualibet enim vertebra bini nerui proueniūt, hinc manibus pedibusq; alijsq; corporis partibus per quas necesse decoreq; viuitur, virtus p̄statur, quoniā sensificā motricēq; potentiam subministrant. Ex ima spina nerui vtrinq; oriunt̃ qui sub coxis in vnū coeuntes singulos ad poplites neruos emittunt qui teretes dicunt̃, ad successionē quoq; generis vtriusq; sexus, mēbris genitalibus vt suū opus impleant virtutē elargiri p̄duntur. Ideoq; nulla fere corporis pars sine cerebri spiramēto vel medullæ spinalis beneficio constat, vnde a medicis longum cerebrum meruit appellari, ei superne veluti filum in longitudinem protenditur, diuisam medullæ materiam leuiter indicans. dempta membranula vna fere materia diiudicatur, quod morbi paralysis argumento percipitur. Nam ex apoplexia alterutra parte affecta dimidiata corporis pars dūtaxat periclitat̃ altera illęsa, quā hemiplexiā vocāt, resolutis corporis neruis qui mouendi & sentiendi internuncij sunt. His enim omnibus mēbris tactus diffundit̃ animali necessarius. Neruorū itaq; certa cōtinuatio non est, vt in venis et arterijs. Omnia ossa musculi mēbranis neruosis integūtur & in musculis quoq; neruositas intus intercurrit. Ossa neruis colligant̃ & circa art⁹ plurimis obducuntur & cōpagum nexibus adalligantur. ij aliubi interuentu, aliubi ambitu vel transitu ligāt. hic teretes illic lati, aliubi crassiores, aliubi membranæ naturæ

vt in vnoquoq; prosit figuratio, alij carne commixti sunt sensui aptissimi, alij teretes & simplices qui articulos tegunt. Omnes perpetuo humore madent vt mēbra lubrica celeritati idonea existant.

¶ De ceruicis neruis CAP. XVI.



Eruos ex spina per foramina transigere significauimus. at in ceruice ex vertebrarū cōpage exeunt, ne crebris foraminibus, quoniam tenuiores sūt, inualida fieret. Plures neruos ceruix continet, platys maximus est, musculisq; duobus ingentibus hęrent venę sphagitides. Ceruix grauibus et periculosis morbis obnoxia est vel acutissimis. nam neruorum rigore, modo caput scapulis, modo mentū pectori annectitur, modo rectā immobilēq; ceruicem intendunt musculi, priorē gręci opisthotonō, sequentem emprosthotonon, vltimum tetanū appellant. ij distillationibus proueniunt. Ea vicia ad spinam quoq; descendūt, vt ipsa ad arcus scytici modū retrorsum flectatur acutissimo morbo, quo sępe intra quartū diem tolluntur. Inter exempla Sanctius Pollanus cydoniensis ex patricia gente ad. XL. vsq; diē huiusmodi tormentis tortus est, digesta tandem materia & per vrinā humore lacteo reddito leuatus est, cui castoreum pręcipuo fuit remedio.

¶ De lumbis CAP. XVII.



Voniam dorsi partes sunt lumbi e regione ventris constituti, carne hos vacare tradit Aristoteles vt flecti possint, omnium enim flexus excarnes sunt. Ii venere fatigantur, & doloribus sępe torquentur. Ex ictu quoq; vel lapsu delumbatos non sine magno periculo vidimus. Ab iis nates sunt, ad corpus requiem pro stragulo datę, iccir-

co ab ægritudine consumpti sedere nequeũt, ijs cucurbitulę impositę regalis venæ vicẽ vtiliter præstãt. Hinc ad corporis musculos transeamus, quorum ratio magna ex parte a nobis pro membrorum qualitate demonstrata est.

¶ De musculis CAP. XVIII.


E musculis libro primo pauca retulimus, quorum numerum irrito veluti labore antiquitas prętermisit, sed eos dũtaxat animaduertit, qui in membris præcipui sint, quiq; percussi letales videantur. Nam ij musculi præcisi facilius sanantur, reliqui minoris famę, non ita mortiferi sunt. Omnes ex carne, neruo, membrana, chordaq; constant. ijs membra si contrahuntur, conducuntur, si resoluuntur, eadem pariter reuocantur. In fronte, capite, palpebris, labijs, buccis, confusi, motu magis q̃ dissectione percipiũtur. in maxilla superiore binos. in labris totidem, ac naribus. in mãdibula inferiore duodeni. circa collũ circiter. iij. et. xx. in epiglottide, gutture, ac gula. xxxij. a collo ad scapulas. xiij. collocãt musculi, in lingua. ix. inueniuntur.

¶ De musculis thoracis CAP. XIX.


N pectore musculos. viij. attollẽtes, atq; constringentes. vij. inter costas singulas quatuor esse ostẽdunt, eo quod carnis musculorũ filamenta quę mẽbrum contexũt. iiij. mixta cernũtur, circa humerũ vtrũq; supra. viii. &. xx. cõnumerãtur musculi, quorũ quidã ĩ gemina capita findũt, et a simplici incipiũt.

¶ De brachiorũ musculis CAP. XX.


N brachiis qui maiores sunt. iiii. &. xx. numerantur, in lacertis ac cubitis, in palma & manu auersa digitisq; pro cuiusq; motus ratio-

ne.viij.&.xx.esse creduntur, quorũ plurimi adeo confusi sunt, vt diuelli nullo pacto possint.

¶ De dorsi musculis CAP.XXI



Vi vero dorsum flectunt ac reuocant. viij. & lxxx. inueniuntur. Hi vẽtri de quibus primo libro diximus. viij. sunt. testium quaterni, in mulierũ testibus singuli sunt, vesicæ ceruici vnus tantum, virili mẽbro quaterni sunt, in ano totidem inuenti, quorum vnus astringit, voluntarioq́ continet, ex reliquis vnus cum membro virili cõmittitur, cuius titillatu infando naturę vitio pathici in libidinẽ erumpunt. Eadem ratio est, qui solutis iisdem musculis in venere excrementa inuoluntario profluunt.

¶ De crurum musculis CAP.XXII.



N crure omnium fere maximi inueniuntur, vi.&.xx. bini pręcipui sunt, quorum alter cõtrahit, alter protẽditur. A vertebra enim fœmoris pedis pollici ad ingressus neruo annectitur. qui protendunt nobiliores existimantur, ij cursu, itinere, vel stando maxime fatigantur. Circa eandem coxam vnus est, qui triceps cernitur in sũma parte, dupliciq́ cauda terminatur, qua annectitur. alij lumbis, alij ilibus annexi sunt. In vtroq́ fœmore. xl. numerantur. In poplite item ac circa tibiam. xxviij. colliguntur. Circa flexum pedis per pedem .ij. &. xx. collocãtur, quorũ vn⁹ duas ex se emittit chordas. Circa digitos bini sunt qui binas singuli emittunt chordas. sub planta vero quini, ex quibus nõnulli inter se adeo permixti sunt, vt diuelli nequeant, aut vno læso reliqui afficiantˇ. In summa igitur summarum musculi omnes (vt dictum est) circiter quingenti vigeni seni colliguntur.

¶ De ossibus & primum de ceruicis vertebris CAP. XXIII.

DE ossib⁹ nõnulla libro primo dixim⁹ in vniuersum, ac capitis ossa pectorisq; & laterũ speciali⁹ suo denarrata sunt loco. At nũc reliquorũ ꝑtractanda est natura, q̃ nõ solũ ab authoribus habenda est, sed diligentius (vt Galenus tradit) ex cadaueribus cognoscẽda. Quidã emotis musculis ac carne dimidiatũ cadauer ingẽti cacabo discoquunt. plena coctura est cũ carnes facile laxantur, q̃ supersunt, agitant laureo ramo, tũ diligenter eximunt, ac deinde ossa sensim dispoliãt. Quidã medicus inter has resectiones humanã carnem coctã nobis pręsentibus cõmanducauit, ac exinde mansam expuit, vt ceteris de sapore indicaret. interrogantibus qualis saporis esset, bubulæ respondit. denudata tandem ossa facile cernuntur. Alij in sepulchris cadauera intuẽtur, nõ sine nausea, quoniam immunda sunt. in flumine vero vel calce dissoluta præferuntur. Huiusmodi ossa vulnerum medici frequenter spectare debent, & clinici quoq; non negligant. Euenit olim peractis resectionibus in patauino gymnasio vt quidam discipulus ea ossa ad vsus reseruasset. venetias nocte veniens medio itinere lintrem cœnaturus relinquens, diuersorium cum cæteris sociis petit. Ecce petulantissima publicanorum familia, qui occultas merces inquirũt, capsulam inuẽtam in lintre, requirentes dominũ, & nemine respondente protinus auferunt, & præfectis præsentibus sequenti mane reclusam patefaciunt, repertis ossibus pulpis viduatis, cãdicãtib⁹, inter odoratas herbas, venerabũdi nudo capite sanctorũ ceu reliq̃as ꝓtinus adorãt, ide ad summũ magistratũ scriniũ ꝓferũt.

In eo turbę concursu Franciscus Sanut⁹ cōsiliarius vir summę virtutis dissectionū reliquias patefecit, & sectatori medicinę de erepto scrinio conquerenti restitui iussit magno omnium risu frustrata publicanorū auaritia. Sed ad ceruicis vertebras redeamus, ea septē orbiculatis ossibus cōstat, quę media medulla a cerebro descendēte perforata sunt, vbi medulla q̄ in spina amplior est. Eę caput sustinent. primam ex vertebris strophea, & epistrophea vocant, Hippocrates odōta. secūdam axem, quoniā tanq̄ axis sit immobilis. vltimā atlantem, quoniā baiuli modo onus sustinet. at Plinius mutato ordine primam atlantiū facit spinę articuli vinctam, vltima vero epistropheum, qua sinistrorsum, ac dextrorsum caput inclinat̄, inter quā & axem sequentem modo caput scapulis, modo mentū pectori flectimus. Si caput igitur qđ duob⁹ processibus in duos sinus summę vertebrę impositum est, in priorē partem excidit, ita vt neruus sub occipitio extendat̄, mentūq; pectori agglutinetur, tū is neq; bibere, neq; loqui potest, interdūq; semen genitale inuoluntario emittitur, quibus celerrime mors superuenit.


De spina. CAP. XXIIII



Eruici spina ossiū origo (vt Aristoteli placet) annectitur. tereti quoq; structura per media foramina, eadem medulla descendente, hierasyrinx a grecis, a nostris sacra fistula vocat̄, nodis constat, qui spondylia vocantur, costis singulis hoc est legitimis, & nothis respōdentia, his postremis thoracis terminos quidam imponunt hoc est ad ilia. Primus ex. xij. nodis asphalia dicit̄, post quē maschalister ab axillis dict⁹, reliqui a lateribus pleuritæ, duodecimus a pręcinctu diazoster, a quo zoster ignis sacri

genus medium hominem ambiẽs teste Plinio dicitur. Post hos quinqꝫ sunt ex opposito renũ ad coxas porrecti, teretes, firmiores, breuesqꝫ ab vtroqꝫ latere, processus duos exigunt. spinę extantia ob canũ similitudinem cynolopha dicũtur, lumbos musculi replent psoę siue vlpes a Cleantho dicti. Omnes vertebræ exceptis tribus summis a superiore parte in ipsis processibus parum decidentis sinus habent, ab inferiore alios deorsum versus ꝓcessus exigunt spectantes, inferiores insinuantur, ac per sinus quos vtrinqꝫ habent, superiores accipiunt, multis neruis multaqꝫ chartilagine continent̃, vt vno flexu modico homo ad necessaria opera inclinetur. ab his imę spinę ossa os sacrum constituũt. ita Paulus egineta vocat in auibus oropygium, cuius vertebrę senę sunt, cęteris minores ac magis cõpactæ, spondylion appellãt, in quod vertebræ superiores desinunt, quę in partu miro naturæ opere dimouentur. Galenus spinæ quatuor partes constituit, primam ceruicem, metaphrenũ, lumbum, & quod os sacrum nominant, a quibusdam vero latum. Collum ex septenis vertebris, metaphrenũ ex duodenis, lũbus ex quinis, os sacrum ex reliquis cõstituitur. in summa igitur vertebrę tricenæ sunt, ex quibus singulis per vtrinqꝫ constituta foramina totidem syzygiæ, & vna addita oriuntur, quę corpus succingunt, motus & sensus prędstant.


De medulla vulnerata & spina luxata CAP. XXV.



SI percussa medulla est, nerui resoluuntur aut distendunt̃, sensusqꝫ alicuius membri intermoritur, aut alterum crus aliqua iniuria debilitatur, vel sine voluntate semen vel excremẽta profluũt. idẽ euenit quibus spina luxat̃, qđ fieri nõ

poteſt niſi medulla colliſa vel neruis diruptis. Si ſupra ſeptum vertebræ exciderunt, manus reſoluūtur, vomitus ſequitur, difficulter ſpiritus moueť. at ſi ſub ſepto id acciderit, crura reſoluūtur, vrina ſupprimitur, vel ſine voluntate diſtillat. Cōmemorat Galenus ſe ęgrum liberaſſe, cui cęteri medici medicamenta digitis impoſuerant, qui ex ictu ſpinę reſoluti fuerant, ipſe vero idē medicamentū vertebrę addidit.

¶ De ſcoptulis optis, & humero CAP. XXVI.


A Ceruice rurſus duo lata oſſa vtrinq; ad ſcapulas tendūt, noſtri ſcoptula operta, omoplatas græci nominant. ea in ſummis verticibus ſinuata, ab his triangula paulatimq; lateſcentia ad ſpinam tendunt, & quo latiora quaq; parte ſunt hoc hebetiora, atq; ipſa quoq; imo chartilaginoſa poſteriore parte veluti innatant, quoniam niſi in ſummo nulli oſſi inhereſcūt, ibi vero validis muſculis neruiſq; conſtricta ſunt, at a ſumma coſta paulo interius, quā vbi ea media eſt, os excreſcit, ibi quidē tenue, ꝓcedens vero quo propius lato ſcapularū oſſi fit, eo plenius, latiuſq; & paulatim in exteriora curuetur, quod propius altera verticis parte modice intumeſcēs ſuſtinet iugulum, quod lunatū & recuruū eſſe diximus, altero capite in eo quod poſui, altero in exiguo ſinu pectoralis oſſium ſtructuræ inſidit, & cum lato oſſe ſcapularum infra caput, eius neruis & chartilagini cōnectiť. Hinc humerus incipit, extremis vtrinq; capitibus tumidus, mollis, ſine medulla, chartilaginoſus, medi⁹ teres, durus, medulloſus, leniter gibbus, & in priorē, & exteriorem partē. prior autē pars eſt quę a pectore, poſterior quę a ſcapulis, interior quę ad latus tēdit, exterior quę ab eo recedit, quod ad omnes articulos pertinere

in vlteriorib⁹ patebit. superius autē hūeri caput rotū- di⁹ q̄ cętera ossa de qb⁹ adhuc dixim⁹. verticulatis sca pularū ossib⁹ inserit, ac maiore parte ex trāsitu neruis quos cōiunctiones vocamus, deligatur. at inferius du- os processus habet, inter quos qui medius est, magis etiam extremis partibus sinuatur. Quę res sedem bra chio (de osse enim dicim⁹) p̄stat. Humerus a sede sua, hoc est, ab omocotyle, modo ī p̄tē priorē, mō in alam excidit. si in hāc partē delapsus est præter reliqua signa longius altero id brachiū est, si in priorē partē summū quidē brachiū extēditur, minus tanq̄ naturaliter, dif- ficiliusq; in priorē partē q̄ in posteriorē cubit⁹ porrigi- tur. Curatiōes ad huiusmodi mēbra luxata, non sunt ad pręsens negocium pertinentes.

¶ De brachio CAP. XXVII.

BRachium humerum excipit, ī vtrūq; flexus ipse Ancon dicitur. Id constat ex ossibus du- obus. Radius quem cercida gręci vocant, su- perior breuiorq;, & primo tenuior rotundo et leuiter cauo capite exiguum humeri tuberculū reci- pit, atq; ibi neruis & chartilagine continetur. Cubitus inferior longiorq;, & primo plenior in summo capite duobus quasi verticibus extantibus in sinu humeri, quem inter duos processus eius esse proposui, se inse- rit, primo vero duobus radijs brachij ossa iuncta pau latim dirimuntur, rursusq; ad manum coeunt, modo crassitudinis mutato, si quidem vbi radius plenior, cu bitus admodum tenuis est. Dein radius in caput char tilaginosū cōsurgēs, in verticē eius sinuatur. Cubitus rotūdus in extremo, parte altera paululū p̄cedit. Ani maduertit Celsus quē de ossiū ratiōe seq mur pluria os- sa in chartilaginē desinere, sicut de costis dixim⁹, nullū

vero articulũ non ita finiri. Si vero cubitus excidit, maioris negocii est q̃ humerus. In hoc ossa coeunt, humerus, radius & cubitus. sed cubitus qui inexus humero est, ab hoc excidit. radius qui adiũctus est, interdũ trahitur, interdũ subsistit. in omnes vero quatuor partes excidere cubitus potest, si in priorẽ prolapsus est, extentum brachiũ est, neq; curuatur, si in posteriorẽ, brachium curuũ est neq; extenditur, breuiusq; altero est. interdum febrẽ, vomitumq; bilis mouet, si in exteriorem, interioremve brachium porrectũ est, sed paulum in eã partẽ a qua oportet recessit recuruatũ, quicquid incidit, reponẽdi ratio vna est, quę perdifficilis tũ a posterioribus tũ a priscis medicis omnino habetur.

¶ De manu & eius prolapsu CAP. XXVIII.

IN manu vero palmę pars ex multis minutisq; ossibus constat, quorũ numerus apud priscos incertus est, posteriores vero. xxvi. ossa colligunt, xij. in manu, in digitorum articulis. xiiij. sed obligata omnia et triãgula structura quadã inter se cõnectuntur, cum inuicẽ superior alterius angulus, alterius planicies sit. Eoq; fit ex his vnius ossis paulũ in interiora concaui species, verum ex manu duo exigui processus in sinu radij coniiciuntur, tũ ex altera parte recta quinq; ossa ad digitos tendẽtia, palmã explent, a quibus digiti ipsi oriũtur, qui ex ossibus ternis, præter pollicem constãt, omniumq; eadem ratio est. interius os in verticem sinuatur, recipitq; exterioris exiguum tuberculũ, neruiq; ea continent, a quibus orti vngues indurescunt, ideoq; non ossi sed carni magis suis radicibus inhærent. At superiores partes sic ordinatæ sunt. Manus quoq; in omnes partes quatuor prolabitur, in posteriorem, cuius rei nota est, quod porrigi di-

giti non poſſunt, ſi in priorem partem excidit, non inclinantur, ſed in alterutrū latus manus in contrariū, aut ad pollicem, aut ad minimū digitum conuertitur. In palma quoq; oſſa excidunt in priorem aut poſteriorem dūtaxat partē, in reliquas partes non poſſunt, hoc ſigno, quod cōmune eſt, deprȩhenditur, tumor ab ea parte in quā os eſt compulſum, ſinuſq; ab ea a qua receſſit, digitis totidem caſus eueniunt. eadē ſigna inueniuntur quȩ in manibus diximus.

¶ De oſſibus inferioribus CAP. XXIX.


Crura brachijs reſpondēt, coxis omototylȩ, humeris fœmora, ancon genu ſiue olecranū. Crura ſiue tibiȩ brachiis, radius radio, flexibus poplites, maleolus & calx peculiaria pedi ſunt, digiti digitis reſpōdent, et plantȩ volȩ, vngues vnguibus ſimiles ſunt.

¶ De coxa & pectine CAP. XXX.


Ima ſpina in coxarū deſidit oſſe, quod tranſuerſum longeq; valētiſſimū, vuluā, veſicam, rectumq; inteſtinū tuetur, idq; ab exteriore parte gibbū, ad ſpinā reſupinatū, a lateribus id eſt in ipſis coxis ſinus rotundos habet a quibus oritur os quod pectinem vocant, ſolidum, idq; ſuper inteſtina ſub pube tranſuerſum vētrem format, rectius in viris, recuruatū magis in exteriora in fœminis, ne partum prohibeat, quod os ſacrū falſo appellāt, id enixu mediū ſponte diuidit, laxariq; diuinius quoſdā credidiſſe video, alioqui vel magnis ictibus non frāgi. Sed naturæ vis ea aliter conſpicitur. ſub partu enim ima ſpina quam os ſacrū appellauimus, ac pecten, quo tēpore fœtus amplior eſt, ſponte hiant, & ad fœturā conſentiunt. Ea tū a partu paulatim in naturā ſuam rede-

unt, altero ex ijs vel pluribus renitētibus difficiles partus fieri, & si cętera tuto respondeant. Qui os pectinis diuisum senserit, in partu nō constat. Aristoteles cum mulieres (inquit) parturiūt, dolores, multas quidem in partes incumbūt, & plurimis ad alterutrū fœmur, alię lumbos dolent, alię imum ventrem.

¶ De fœmine & eius prolapsu CAP. XXXI.

FOemen inter ossa maxima rotūdiora habet capita q̃ humerus, infra vero duos processus a priore & a posteriore parte habet. in medio durum ac medullosum, & ab exteriore parte gibbū, ab interiore leuiter cauū est. rursus in inferiore parte in genu intumescit, superiora in sinus coxæ, sicut humerus in ea ossa quæ scapularum sunt, coniicitur, tum introrsus leuiter intendit, quo æqualius superiora membra sustineat. Sinus coxæ a græcis Cotylæ a nostris acetabula dicuntur, quæ hos sinus complent, circa quæ versuræ fiunt, coxendices vocantur, a gręcis ischiæ, a quibus ischiadici dicti sunt qui coxendice laborant. Nam & neruus quo coxēdix acetabulo committitur, ischion quoq; dicitur. Ossium itaq; similitudo similes quoq; casus facit, nam humerus fœmori similis. hoc in omnes quatuor partes excidit, sæpissime in interiorem partem promouetur, tum crus est longius altero & vastius, extraq; pes vltimus spectāt, si exteriorem breuius intusq; inclinatur calx ingressu terram non contingit, sed planta ima meliusq; id crus superiora membra q̃ in priore casu fert, minusq; baculo ęget. At si in priorē, crus extensum est, implicariq; nō potest, alteri cruri ad calcem par est, sed ima planta min⁹ in priorem partem inclinatur. Dolorq; in hoc casu pręcipuus est, & maxime vrina supprimitur, vbi cū

dolore inflãmatio q̃euit cõmode ingrediũtur, ſed ſi in poſteriorẽ ꝓlapſũ eſt, extẽdi crus nõ poteſt, breuiuſq; eſt. vbi cõſtitit, calx quoq; terrã nõ cõtingit, magnũq; fœmori ꝑiculũ eſt ne vel difficulter reponat̃, vel repoſitũ rurſus excidat, qđ in dies videri poteſt reponẽtiũ errore. Hęc eni chirurgices medicinę pars a nostra iã medicina diſceſſit, & ad mercenarios, fabros, ruſticoſq; ſeſe tranſtulit, ob id fœmur luxatũ ſẽꝑ excidere arbitrãtur, nec finẽ medẽdi iueniri, magna Hippocratis noſtri iniuria, qui ex toto luxata fœmora reſtituiſſe proditur, alioqui ab his ad extendendũ, reponendumq; fœmur varia machinamẽta fruſtra inuẽta fuiſſe cõſtat

De cruribus & patella. CAP. XXXII.

FOemorum inferiora capita medio inſinuant̃ quo facilius excipi a cruribus poſſint. horum compagem os paruum, molle, chartilaginoſum, rotũdum tegit, patellam vocãt. hæc ſuperĩnatat, nec vlli oſſi inhęret, ſed carne & neruis deligata, pauloq; magis ad fœmoris os tendens inter omnes crurũ flexus iuncturam tuetur. ipſum autem crus ex oſſibus duobus, vt leuius firmiuſq; ſit, brachio ſimile conſtat: adeo vt habitus quoq; & decor alterius in viuẽtibus ex altero cognoſcatur. nã & quibus exigui ſunt, hi manus quoq; paruas habent. verũ alterũ os ab exteriore parte ſupra poſitũ eſt, quod radius quoq; appellatur, Id breuiꝰ ſupraq; tenuius ad ipſos maleolos intumeſcit. ſuram hãc quidã vocant. Alterũ e priore parte poſitum, cui tibię nomẽ eſt, lõgius & in ſuperiore ꝑte plenius ſolũ cũ fœmoris inferiore parte cõmittitur, ſicut cum humero cubitus, atq; ea quoq; oſſa infra ſupraq; cõiuncta, media, vt in brachio dehiſcãt. In genu cõmiſſura dextra, leuaq; a priore ꝑte gemina quædã bucca-


rum inanitas, quę perfossa ceu vinculis solutis spiritus fugit. Genu quoq; in exteriorem, in anteriorē, et in posteriorem partē excidit, raro vel nunq̄ in priorem partem prolabitur, quia patella opposita est.

¶ De maleolo siue talo, et ei⁹ ꝑlapsu CAP. XXXIII



Rus infra vbi maleoli sunt siue tali, osse transuerso excipitur, quod super os calcis situm est et quadam parte sinuatur, quadam excessus habet, & procedentia ex maleolo recipit, & in sinum eius inseritur. Idq; sine medulla durū, magisq; in posteriorem partem proiectum, teretem ibi figurā repręsentat. Talus quem astragalum vocāt, qui in homine (Aristotelis sentētia) nō est, in omnes partes pro labitur, vbi in interiorem partē prorumpit, pedis tum plāta in exteriorē partem conuertitur, vbi huic cōtrarius talus, contrarium inde signū ostenditur, si in priorem partem erumpit, a posteriore tum latus neruus durusq; fit, si in posteriorē, calx pene conditur. plaga maior fit, reposito talo periculum est parum confirmatis neruis, ne rursus excidat.

¶ De calce & digitis. CAP. XXXIIII.



Vb eo osse calx situs est, crassior, quadrangulari figura. Planus terram calcat, callosa materia subest nō neruosa, sed sine sensu, infantibus tamen nō cōfirmato callo dolet. Mōtē pedis tria ossa habere tātum constat, pręter quod grādineum dicitur. Imam plantā explent quina ossa. Digiti. xiiij. officulis constant. in summa pes. xxiij. ossa cōtinet. Plantę ossa iisdem modis quibus in manu prodeunt. digiti quoq; eandem rōnem habēt. Hippocrates in humeris fœmoribusq; metū mortis esse tradidit. Periculosa etiā crura sūt & cubiti, nichilq; tuti⁹ reponi

poteſt q̃ planta, manus,& digiti, in quibus (vt quidã volunt) oſſicula quędã ſunt inter articulos ſita, quæ ſeſamoides vocant, ab antiquis prętermiſſa, quæ in anatomicis quoq; noſtris nõ inuenta ſunt.

De laude diſſectionis cap. poſtremũ. CAP. XXXV.

Sed iam finem faciam diſſectioni, dimittẽdũ tandem theatrũ eſt, quoniam partes omnes humani corporis vtiliter magis q̃ verboſe tractatæ ſunt, atq; hiſtoriam ipſam breuiario quodam percurriſſe nõ fuerit alienum. Hortor omnes tum tyrones tum veteranos medicos, vel chirurgos, ad frequẽs huiuſmodi theatrum quod ſingulis ſaltem annis celebrandum ſit. quoniã in eo vera videmus, aperta contemplamur, vt opera naturæ tanq̃ viuentia noſtris ſubiaceant oculis, alioqui ſcriptura eſt picturę perſimilis, quę ſępe recordationis negligentiã excitat, & animi caliginem diſcutit. ſed qui litterarũ confiſi dũtaxat monumentis (vt inquit Plato) ſine rerũ conſpectione res ipſas animo nõ reuoluunt expreſſas, ſępe falluntur. et opinionem potius q̃ veritatem mẽtibus tradunt. ſicut nouiter nauigare incipientibus in depictis chartis cõtingit, in quibus inſulæ, ſinus, receſſus, promontoria, veris quę oculis ſubiacent ad plenum non reſpõdent. Sed huiuſmodi picturę res pridem notas commemorant, & viuentium veluti ſimulachra referunt. Scientis enim ſermonem viuentẽ dicimus & animatũ, & orationem eius ſcriptam, nõ iniuria, imaginem quandam nuncupabimus. F I N I S.

¶ Rerum nomina per alphabetum inuentu facilia nõ ſine ratione prętexuimus.

¶ F I N I S.

ℭALEXANDER BENEDICTVS VERONENSIS PHYSICVS MARCO SANVTO VENETO PATRICIO SENATORI OPTIMO.S.P.D.


Vbitauerã ſemp̄ ſenator optime in his medicinę pręceptis aliquid ędere. quãdoquidem difficillimũ noueram in tanta rerum vetuſtate, obſcuritate ac rubigine lucem aliquã vel nitorẽ, aut auctoritatem artibus his quę exoluerunt inuenire poſſe, ſciſq̧ qua nocte dẽſiſſima hęc latuerint. Verum enim nobis occurrũt celeberrimi veteres auctores. atq̧ ex poſterioribus, Theodorus Gaza, ac Hermolaus barbarus qui nuper his ſimilia prętentarũt. Tu quoq̧ patrocinio tuo, veteriq̧ beniuolẽtia cũ auunculo meo Ioanne Iacobo Angelo phyſico his diebus animum ita michi exacuiſti, vt medicorũ noſtrorum magnas ambages, animorumq̧ varietatem pene incredibilem excitare nõ dubitauerim, hoc dũtaxat libello qui immaturus eſt ęditus. Eum enim curatiões quotidianę vſuſq̧ & experientia cõcepere. Nec tamen eſt in dubio multis hęc noſtra faſtidio futura. a Galeni enim tẽpore cõplures lingua externa ſcripſerũt, quo quidem barbarorum feritas italiam inuaſit. Et magis litterarum decus q̃ vrbium ornamenta ſuſtulit, ex qua nobili ſtudiorũ ſtrage, medicinę vilitas orta eſt, inconſtantiſſimaq̧ omnium artium facta. Delere enim aliorum inſtituta vnicuiq̧ fas erat, atq̧ aliquid ex media (vt aiunt) barbarie rapere, glorię erat. Nos vero nichil immutare nichil addere viribus noſtris, ſed priſcam ac romanam ſolũmodo dignitatem tueri enitimur. quæ

ex fœcũda obesitate in his artibus sterili tabe pene cõfecta est. Inuentis itaq; addere inter artium initia maxime decuit. Orpheus enim medentium primus sua placita constituit, quę mox Pythagoras sapientia clarus sustulit, Democritus deinde & Asclepiades eiusdē pręcepta immutarunt. Is ętate magni Pompei rhetoricę quoq; magister erat. Hippocrates itē medicinę princeps (ne nominatim omnia persequi videar) sua medēdi decreta condidit, & prima omnium abdicauit, quē Galenus secutus est. totam fere medicinam ad causarum agnitionem indiciorũq; noticiam, ad rerum qualitates, corporumq; diuersas habitudines atq; gradus reuocando, nichil intentatum inexpertũq; relinquentes, orbem vniuersum ita in sese circumegerunt, vt reliqui omnes inscitia impudenda dãnarentur, ac publicam salutem decoquere viderentur si quid sine Hippocratis atq; Galeni auctoritate agere vellēt, quę omnia (vt diximus) turpi barbarorum colluuie fœdarũt. Inter vtriusq; tempora, & nostri quoq; latino sermone, licet pauci, celebrati sunt, inter quos, M. Cato. C. Valgius Pompeius. Leneus Cornelius ac Plinius operatricem ac empiricem sectantes extitere infœlicibus medicinę artis auspicijs, quandoquidem huius theoriā pręterraisit romana grauitas, alioquin in ceteris virtutib9 omnium gentium rapacissima. Desierunt paulo ante & bellorum ruinis apud gręcos medici, quorum iniuria in externarum gentium laudes cessit. Hinc Auicennę & Rasis aliorumq; auctorum volumina in tanta rerum inopia recepta sunt. Hinc attonitę quorumdam persuasiones preciosa externa & aliena duntaxat ęstimantium, quę item in latinum male vertendo recenti-

ores romanam atqꝫ grꝫcam dignitatem relinquentes confuſis rerum nominibus ad ineptias redegere. Sunt et ipſis exemplaribus grꝫca latinaqꝫ nomina originem artis indicantia, quod in anatomicis & venenatorū libris, ac ijs quos de omnibus morbis membratim humanum corpus graſſantibus ſcripſim⁹, cōmunibuſqꝫ medendi prꝫceptis, ſatis liquido indicauimus. Tu igitur ſenator magnifice has medicinꝫ collectiones (quos grꝫci aphoriſmos vocare maluerūt) in rerū noſtrarum leuem perguſtationem ſuſcipe, quæ de facili doctrina tua, ac auctoritate (ſi volueris) maliuolorum ictus ſuſtinere poterunt. Vale Venetijs.

Anathomice.
De venenatis.
De oībus morbis
De cōib⁹ medendi p̄ceptis.

ℭ Collectiones medicinꝫ.

ℭ ALEXANDRI BENEDICTI PHYSICI DE MEDICI ATQVE AEGRI OFFICIO COLLECTIONVM CAPVT PRIMVM.



1 Oni primū medici eſt, prꝫter ea quꝫ religioni neceſſaria ſunt, nō multos ꝫgros ſuſcipere. Varijs enim morbis & mēs opprimitur & corpus fatigatione continua languet.

Prudentis medici eſt inſanabiles ac deſperatos morbos non curare, ne hominem occidiſſe qui ſorte ſua interiturus erat exiſtimetur.

3 Dubias valitudies, ſine certa tn̄ deſperatiōe, ſuſcipias, neceſſarijs tn̄ indicare oportet rē in difficili eſſe, alioquin vel artem malo vinci, vel te erraſſe indicio ſit.

4 Satius eſt tamen omnibus in rebus anceps auxilium experiri q̄ nullum, plurimorum ſententia.

Vehementi malo, vehemẽti omnino auxilio opus eſt. 5

Succurrendum ſemper parti maxime laboranti. 6

Cauendum eſt in ſecunda valitudine, ne aduerſe auxilia conſumantur. 7

Occurſurus morbo nullus eſt qui originem ignorat. 8

Hiſtrionis eſt exigui momenti morbum attollere, quo plus exinde pręſtitiſſe videatur. 9

Morbus quandoq; qui per ſe exiguus eſt, maior, curãtis negligentia fieri ſolet. 10

Non omnibus eadẽ remedia conueniunt, acciditq; vt quos ratio nõ reſtituit, temeritas quãdoq; adiuuet. 11

Medici officium eſt, vt tute, vt celeriter, vt iucunde curet, verum periculoſa eſſe conſtat nimiam feſtinationem & voluptatem. 12

Peregrina remedia ſemper querere, & precioſa dumtaxat, impudentis eſt oſtentationis 13

Catharticis vti venenatis periculoſum eſt, vnde ad teſtamentorum inſidias ſępe oboritur occaſio, in qua re et officinarum fides neceſſaria eſt. 14

Aegrotantis proprietates noſſe oportet, cuiq; amica, quęve inimica ſint intelligere. 15

Remedia naturæ munera non oſtendere, & in arcanis habere non decet, perfidię atq; auaricię crimine manifeſto 16

Alienam miſeriã pudoris ſociam indicare nefas eſt. 17

Magni medici ſe quandoq; erraſſe ſimplicius confitentur, ne q eodẽ errore quo illi decepti ſunt decipiãtur 18

Cętera pręſidia ſuperat ęgri gaudium, atq; animi ſecuritas, & ſi in pudore medicina quãdoq; inueniat̃ 19

Aeger obſequẽs eſſe debet domeſticis, medicoq; pręcipue qui falli nullo modo debet, occulta enim intẽperantia ſoli ęgro periculum imminere certum eſt. 20

21 Nec cuiuis p̄ſidiū ꝓfitēti, valitudinis deſiderio ſtatim credat,ſolis medicis occidēdi impunitate relicta.

22 Carnificis eſt pendētibus fatis,et inter ipſos cruciatus ingēs precium expoſcere, vel morbum protrahere, vel dūtaxat emouere,vbi extrahere oīo opus eſt.

23 Barbari bene merentibus gratiā nō referunt,& valitu dine conflictātes multa promittūt , ad vitā exinde reuocati conuicijs in vicem proſequuntur.

24 Famoſi veneni vires,aut abortiendi modum,vel quæ conceptum inhibeant indicare ſcelus eſt.

25 Dubię valitudini aſſidere medic⁹ debet,& venarū pul ſu vires ſępe ꝑquirere,cæteraſq; notas inſpicere,qui & ſyderalis ſcientiæ haud ignarus ſit neceſſe eſt.

26 Ergo quę bona ſunt auguria denunciare debet,ſi quid tamen mali minatur infirmitas, neceſſarijs tantum ſignificare fas ſit.

27 Simplicium effectus tenere ſumma cura debet ex qui bus cōpoſita & nobilitatis & plebis auxilia, inuen- tu etiam facilia habentur.

28 Periti medici, manū non ꝓtinus vt veniūt appręhen- dūt. ſed primū hilari vultu reſidēt, ſermone leni ſo- licitudinē ſubmouēt, nam & medici conſpectus, ac alia multa de facili venarum rationem turbant.

29 A recta ratiōe nunq̄ diſcedendū eſt, & ſi nichil prodeſ ſe videatur. ſic ab inceptis pariter peruerſis ſtatim, etſi nichil obfuiſſe cernātur.

30 Varijs auxilijs morbus expugnādus eſt,alioquin con ſuetudo naturam facit.

31 Prodeſt deniq; ægro in medendo ſpes fideſq;.



¶Collectionum CAP.II.

1 MOrborū cōtrarię q̄litates cōtrarijs expellūt.

2 ¶Intemperantem morbi qualitatem vehe-

mēti, & mediocrē mediocri auxilio curare debem⁹
Vehementiora medicamēta, membris remotioribus conueniunt. 3
Superiora inteſtina ſuperne, inferiora iniecto clyſtere commode ſanantur. 4
Validiſſima cauſa eſt, quæ morbū habitudini corporis contrarium excitat. 5
Vbi natura repugnat, parum medicina prodeſt. 6
In acutis morbis ęgre proficitur, nam & profect⁹ omnis tempore expletur. 7
Ex multa fame nimia ſacietas, aut ex multa ſacietate fames damnatur. 8
Ex nimio quoq; labore ſubitum ocium, aut ex nimio ocio ſubitus labor ſine periculo non eſt. 9
Cum quis mutare aliquid volet, paulatim aſſueſcere (debet. 10
Ex itinere fatigatis, vel labore ſudantib⁹, 11
aut a balneo veniētibus, frigidi potus pniciosiſſimi (ſunt.
Ex tēpeſtatibus peſſimę ſunt, quę variant maxime. obiter autumnus plurimos opprimit. 12
Corpora ęſtate relaxata ſubito frigore excipiūtur. 13
Senectutē lōgiores morbi exercēt, acutis adoleſcentia (implicatur. 14
Siquis plenior, ſpecioſiorq;, ac coloratior ſupra conſuetudinem factus eſt, ſine ſuſpitione eſſe nō debet, quandoquidem neq; in eodem habitu ſubſiſtere, neq; vltra progredi poteſt, fere igitur ruina quadam reuoluitur. 15
In oibus corporis affectibus longior diſtantia tutiorem curationem promittit. Si vero materia omnis effuſa eſt, propinquitas pręfertur. 16
Priuſq̄ in diuerſum materiam abducas, membri dolores ſedato. Cauendumq; ne ad principalia viſcera eadem ſuperferatur. 17

18 Principalia corporis membra medicamentis de facili leduntur.

19 Cerebro ac iecori frigidiora non sine metu imponuntur, quæ & neruos offendunt.

20 In periculosis morbis, in quibus virium deliquium timemus, dilatis auxilijs a vehementiori cathartico incipiendum est, alias leuiori vtendum.

21 Locorū transitus ex graui in salubrē vtilis est.

22 Media hyeme aut ęstate aluū trahere, aut secare, aut adurere malum est.

23 Maxima in medendo difficultas est, cū causa eiusq; effectus contraria auxilia requirant, vt colicis cruciatibus contingit.

24 Senibus tremulis nichil prosunt medicamenta.

25 Scamonium medicinas omnes exacuit, qđ & stomacho inimicum perhibetur.

26 Frigefaciēdi & excalfaciēdi par tēpus est. In illo met⁹, in hoc audacia maior, calidis enī natura gaudet.

27 Humectandi, atq; exiccādi vires pari metu feruntur, verum hoc velocius euenit.

28 Natiua caliditas humido tēperato gaudet.

29 Sponte exiccari corpora non mirum est, calefieri vero naturale non est.

30 Vehemētior caliditas materiam in lapidē conuertit, si corporis meatus introclusi sunt.

31 Habitum corporis frigidum calefieri haud facile est, si iam constiterit, si increscit q̄ facillime.

32 Frigida rursus habitudo initio celerius cedit calidis q̄ calida frigidis.

33 Calida corpora ęgre frigefiunt, ęgrius vero frigidiora calidis vincuntur.

Immodica corpis frigiditas, mortis imaginē refert. 34

Immodicus calor ſiccitatem contrahit, frigus vero humiditatem. 35

Ocium ac balneorum vſus corpus humidum reddit, quod & vinum modice epotum efficit. 36

❡Collectionum CAP. III.



Enuioribus magis ſanguis, plenioribus vero caro magis abundat 1

Tenuiores ſanguinis detractionē facilius ſuſtinent, pinguiores leduntur. 2

Vires corporis magis ex venis q̃ ex ipſa ſpecie dignoſcunť. 3

Mittere ſanguinē vſum habenti expeditiſſimum eſt, ignaro vero difficillimum. 4

Ex oī humore nichil ſanguinis dimiſſione nocētius 5

Arteria inciſa neq; coit neq; ſaneſcit, vt ſanguis vehementer erumpat efficit. 6

Ex larga ſanguinis detractiōe mali gñanť hūores. 7

Miſſio ſanguinis adeo nō prodeſt vt etiam interdum maxime noceat. 8

Eadem ſi q̃ largiſſima fit, aluum ſępius ſiſtit. 9

Intereſt nō q̃ ętas ſit, neq; qđ in vtero geratur, ſed quę vires ſint, imbecillo enī cuiq; male ſanguis emittitur. 10

Integra atq; exigua ſanguinis materia reliquis viciatis humoribus male demitur. 11

Veniſex qui ꝑtius aut timide venā icidit vires tuetur, verū quādoq; craſſior materia intus retinetur 12

Qui cōfidēti⁹ latū vulnus infert, ſerius id ſaneſcit, velociuſq; aię defectum īducit, verū magis expurgat. 13

Latior ſcapellus hyeme, ęſtate acutior eſſe debet. 14

Supinis vena incidenda eſt ne anima deficiat. 15

In febre ardenti detractio ſanguinis q̄nq; obeſt 16

In febribus quibus neruorum contractiones accidūt 17

a ſanguinis detractione abſtinendum eſt, & ſi neceſ ſaria alioquin videatur.

18 In periodica febre modicus demitur ſanguis, ſi rigores preſertim vehementiſſimi ſunt.

19 Bilis furor atq; pituitę cruditas importunam ſanguinis miſſionem ſequitur.

20 Certum tẽpus nõ circũſcribit ſãguinis dimiſſio, obiter ruptis, cõuulſis, ex alto delapſis, qui etſi paulo ante cibum ſumpſerint, protinus demenda materia eſt.

21 Adoleſcentibus exiguũ ſanguinis mitti conuenit, neq; nulli poſt longos morbos, aut a crapula.

22 Vẽtriculo aluoq; aſtricta met⁹ eſt ſãguinẽ extrahere

23 Faſtiditis tediũ abſtergendũ eſt veniſex priuſq̃ venã incidas, ex qua largius ꝓfluuium & ſi rarum eſt, quotidiana extractione q̃ modica ſit nocentius eſt.

24 Hyemem auſtro perflante ſanguis recte mittitur.

25 Tardius ſaneſcit ictus quo quis magis dolet.

26 Poſt ſanguinis dimiſſionẽ cibo modico vtendum eſt, in qua vehemẽter deligare, et pręteritos ictus nõ vitari importunum eſt.

27 Obeſis deliganda brachia ſunt vehemẽter, macris la(xius

28 Profluente ſanguine raro, ſuppreſſo frequẽter anima deficit, niſi largius educatur.

¶ Collectionum CAP. IIII.

1 HVmecta atq; calida corpora alui deiectionẽ haud difficulter ferunt.

2 Aluus cita macris, tenuibus, mẽbriſq; mollibus nocet.

3 Bilioſis alui deiectio grauis eſt, ac ꝑparce viuẽtibus.

4 Importuna deiectio neruorũ contractionẽ minatur

5 Pueris ſenibuſq; temerarium eſt aluum ſoluere.

6 Hyeme ac ęſtate ęgre venter ſoluitur.

Insuetis plurimum obest deiectio. 7

Materię motus modũ idicat. stomachi nãq; fastidiũ vomitũ suadet, vẽtris pũctiones alui ductionẽ iuitant. 8

Membris certi meat⁹ sunt, vesica, iecoris gibbo, cauo intestina respondent. 9

Immodica exinanitio q̃plurimũ malas febres excitat 10

Ventre a fluxu præmature confirmato ac morbo aliquo ob id supueniente aluũ cõcitare rursus oportet 11

Materia quę vnius naturę est, in vẽtre facillime continetur atq; perficitur, quę vero varia sunt vario ventris motu cõtrahuntur. 12

Qui recta victus ratione vixerit, nec vomitu nec alui ductione eget. 13

Assumpta sępius medicamenta vbi sanguinis missio necessaria sit, febres faciunt, ob id p̃postero vsi sunt modo qui a prima purgatione nõ quieuerunt. 14

Biliosis, vomitus catharticũq;, mox ocium prodest. 15

Cum bilem ruffam trahimus, & scamonio opus est, qđ myrobalanũ dicunt addimus, vt virus auferat. 16

Vẽtrẽ deiicere vbi intestina apostemata sunt, dãnat̃ 17

Febre correptis aluus soluta salubrior est vomitu. 18

In ventris fluore, cũ incocta ꝓfluũt vomitus nocet. 19

Vẽtrẽ aut vomitũ cõcitare, cui corp⁹ integrũ est, vertigines vẽtrisq; dolores facit, maleq; materia soluitur 20

In vomitu aut alui deiectiõe, vno exinanito humore & alio incipiente, corpus recte purgari indicium est 21

A purgationibus somnus plenior ægrum magnifice exonerasse ostendit. 22

Sitis quoq; vehemẽtior bene purgati infirmi nota est. 23

Quę ex narib⁹ medicamie extrahunt̃ hydropises (extenuãt 24

Torti, hoc est inexplanatę linguę, vehementiora medicamenta male sustinent. 25

26 Qui catharticis nō assueuere, his vti non debent, neq; stomacho defecti, q̄busq; humor lent⁹ est ac tenax.

27 Si p̄cordia tenta sunt, cathartica assumpta nocent.

28 Inflāmatis humoribus oppilatisq; meatibus, medicamenta non dantur donec corrigantur vicia.

29 Qui ex stagno aquam bibunt, quiq; liene non laborant, medicamenta facilius ferunt.

30 Añ vētris purgationē sōn⁹ p̄dest, vires enī intēdit

31 Ab imbecillibus catharticis vigiliȩ preferuntur, somno enim medicaminis vis remittitur.

32 Epoto medicamento exercitationes malȩ sunt.

33 Qui calidȩ atq; infirmȩ habitudinis sunt, crudiq; stomacho, ptisana aut rhoiton iis conuenit, mox medicamento tutius vtuntur.

34 Cathartica syrio ardēte febres afferunt, a quarum potu comedere aut bibere siue dormire, nisi exacto opere nocet, alias ventrem contrahunt.

35 Pillulȩ cum iis quȩ eiusdē effectus sunt cogi debent.

36 Oris resolutio aluo cita sanatur.

37 Duobus vti catharticis in die temerarium est.

38 Longinquior materia difficilius attrahitur.

39 Salis plurimus vsus, ante catharticum nocet.

40 Senectuti, ac quibus infirma ilia sunt, deiectiones obsunt, quȩ interdum aluo cita tentantur.

41 Iecoris dolor qui a sanguinis dimissione aut vētris purgationibus accidit, aqua calida pota sanatur.

42 Quotidiano medicamētorū potu natura viciatur. obiter qui ijs assueuere q̄citissime p̄clitari certum est.

43 Siccȩ habitudinis corpa acriori medicamento ledunt.

44 Si alu⁹ leui medicamēto nō mollit, q̄es indicāda est

45 Vbi sanguinis missio sola mederi potest, medicamentū superaddere malum est, inflāmationes enī facit.

Pillulę vetustate induratę pessimę sunt, nec nimium re- 46
centes laudātur. ℂCollectionum CAP. V

Cibi potusq; crassę materię damnantur. vias 1
enim corporis intercludunt.
ℂNichil ægrotātibus vtilius tempestiua ab- 2
stinentia, quę tēpore & modo & genere q̄rit.
Aeger neq; superuacua materia onerādus, neq; imbe- 3
cillitate perdendus.
Cibus simplex laudatur, sapores & condimenta pni- 4
Plurimo cibo indiget qui increscit. (ciosa 5
Qui nimio cibo vtuntur, corpora non augent. 6
Valētissimę materię cibis vti debēt athletę agricolęq;. 7
Valitudo ignota, aut inedia vincit, aut indicatur. 8
Oīs curatio contrariis pręsidiis curat, verūtn̄ abstinen 9
tia victusq; ratio sine periculo plerumq; sanat.
A fame, cibo plurimo ac malo vti perniciosum est. 10
Quo acutiores morbi sunt, eo minus cibo indigent. 11
Si quis in acuta valitudine linquit anim⁹ ab imbecil- 12
litate refecimus, nec largius quidem.
Quę genitale semen augent, lactis quoq; abundanti- 13
am faciūt. quę ediuerso genituram extingunt, huius
quoq; inhibent copiam.

ℂCollectionum CAP. VI.

IN febre ardenti frigidam dari largius veta- 1
mus si stomachus imbecillus est.
Si inter morbi initia materia nimium feruet 2
statim ducenda, alioquin digerenda.
Instantibus quartanis theriaca pręclare medetur 3
In quartanis nunq̄ neruorum contractiones fiunt, in 4
quibus & diaueratrum datur, & in tertianis diasca-
monium, circuitus enim soluunt.
Panis frigida madēs febricitātib⁹ appetētiā excitat 5

6 In acutis febrib9 vehemētes dolores piculū minantur.
7 Alba vrina in causode dolorem capitis nunciat.
8 Causodem subitus horror resoluit.
9 Senectutem ardens febris raro solet offendere, alias perniciosa.
10 Ipso accessiōis die nichil prӕter vomitū tentādum.
11 In febre cibus offerēdus non est, nā quod non integro corpori infertur, de facili corrūpitur. inter omnia tamen tempora inclinante febre minus dānatur.
12 Instante morbo satius est q̄ incipiente, omni tamen tēpore defectis subueniendum est.

¶ Collectionum CAP. VII.

1 CApillorum defluuium quod ӕtate contingit nunq̄ restituitur.
2 Seruari non potest cui cerebrū membranӕq; incisæ sunt.
3 Percusso cerebro vel membrana, biliosus vomitus insequitur, ac nerui distenduntur.
4 Vrina veterinariӕ silis p̄teritos capitis dolores oñdit.
5 Frontis dolore, quod ob similitudinem ouum dicitur, in faciem dormiunt.
6 Ventrem mollire, capitis doloribus vtile est.
7 Immodicis vigiliis tussis intercedēs mortifera est.
8 Obliuio quæ sanis sponte prouenit, comitialem morbum, aut lethargiam, aut apoplexiam denunciat.
9 Vlcera quæ insanientibus accidunt, pestifera sunt.
10 Vertiginosis senibus apoplexia facile imminet.
11 Si in comitiali morbo mens lesa est, aut neruorum facta resolutio, valitudini spes non est.
12 Morbus comitialis añ pubertatē ortus qñq; finitur.
13 Apoplexiā prӕnunciāt nocturnӕ suppressiones, quӕ et morbum comitialem, vel insaniam præsagiunt.

Demētia ſępe in comitialē morbū vertitur, aut cōtra. 14

Morbus comitialis frequens, exitialis eſt, quem ner- 15
uorum contractiones antecedunt

Melancholicis ſanguinem frequenter dimitti, apople- 16
xiam vel ſimilem morbum portendit

Apoplexię, ſi febris accidit, vbi abſceſſus cauſa nō fue- 17
rit, triduo æger inſepult⁹ eſſe debet, quo decretorio
quandoq; tempore morbus finitur

Neruorū vitia tolluntur plurima, ſi occipitio ſtudes. 18

Ebrietas neruis nocet, & conceptum inhibet 19

Qui colicis ſępe laborāt, ij neruorū reſolutionē icurrūt 20

Infantium vrina viridis, neruorum contractionem vel 21
reſolutionem prędicit

In vulnere neruorum contractiones exitiales ſunt, & 22
quæ ex arefaciente cauſa oriuntur

Frigida ęſtate ſuperiniecta membris, frigidam neruo- 23
rum materiam diſcutit, ſi vires adſunt

Cum ſtupēt crebro membra, exitium denunciant 24

Cum mēbri ſtupor pſeuerat, neruorū vicia pręſagit. 25

Timere ex ſomno mali morbi indicium eſt 26

Somnus ſtatim a crapula. aurium vicijs nocet 27

Diſtillatiōes frigidę febre maturāt, calide accēdūtur. 28

Quib⁹ capitis diſtillatiōes fluūt, raro pleuretici fiunt. 29

Auſtris caput humorem ſępe recipit, qui mox aqui 30
lone ſine intermiſſione diſtillat.

Sternutamēta partum adiuuāt, cōceptū vero expellūt 31

Vbi ſternutamenta fruſtra tentantur, vires corporis 32
inualidæ ſunt.

¶ Collectionum CAP. VIII.



SI cū oculorū vicijs capitis dolores ſūt, hi pri⁹ 1
diſcutiēdi, mox oculorū malis mederi opor-
Nichil oculis coitu nocentius. (tet 2

3 Crapula nocet oculis, magiſq; qui a cibo ſtatim dor=
miunt.
4 Supinus ſomnus, ac vigiliç moderatç oculis proſunt.
5 Sanguinis frequēs dimiſſio, oculorū claritati obeſt.
6 In epiphoris oculorū vel eorū vicijs oībus caput oleo
perungere, aut auribus inſtillare perniciosum eſt.
7 Lippienti medetur deiectio.
8 Frequētiores in cibo lactucç claritati oculorū nocēt.
9 Surditati veteri difficulter ſuccurritur.
10 Surdi quandoq; fiunt vbi bilioſus fluxus ventris ſub=
ſtiterit.
11 Surditati aurium nichil bilioſa aluo vtilius.
12 Faucium tumoribus, ſub lingua vena vtiliter ſecatur.
13 Angina in peripneumoniam quandoq; vel in prçcor=
dia tendit, ac perimit.
14 Qui anginç morbo intereūt, ijs priꝰ nerui cōtrahūtur
15 Auriū purulētia importune perſanata vertigines ocu
lorum excitātur, redeunte haud dubio tolluntur.

¶ Collectionum CAP. IX.



1 Or nullo abſceſſu afficitur, quod ſi diu mala
habitudine affligatur, nunꝗ ſanatur.
2 Defecti, vino ſtatim recreantur.
3 Vinum dilutius pueris, ſenibus meracius cō=
uenit.
4 Crocum, cordis vitalibus medicamentorum vires de=
fert, ſtecas vero capiti.
5 Febres putridç cordis caliditatē et humiditatē arguūt
6 Materia quæ peripneumoniam aut pleureſim facit,
ſi ad cordis vitalia pertinet, protinus necat.
7 Humorum omnium ſuperuacua exinanitio, cordis vi=
res offendit.
8 Corde ſponte frigefacto aut calefacto arefactove,

ptisis certam originem habet.
Cor humectum febre putrida sæpe periclitatur. 9
Circa præcordia ortis vlceribus, sanguis ex sinistra na re profluēs, mortem subitam prenunciat. 10
Immodicus cordis tremor, animi prius defectum, mox interitum affert. 11
In cordis affectibus auferre causam, ac que hylaritatem custodiunt addere oportet. 12
Odorata oīa cordi cōueniūt, fedicp odoris locorū cruciatibus. 13
Animi defectio, si pseuerat, insanabilis est. 14
Cōcitate vomitiões, anime extīcte speciē reuocāt, nisi sudore deliq̄rit, in quo casu etiā extremorū ligaturæ (obsunt 15
Asthma senibus difficilius est. 16
In laterum doloribus, si materia in .xiiii. diebus non excreatur, vomica oboritur, quæ rursus si .xl. diebus non purgatur, tabes subit. 17
Pregnantibus senibuscp, laterū dolores letales sunt. 18
Aquilonibus, vere pleuretici fiunt, estate item ac autumno pluuioso. 19
Pleuresis q̄ excreatiōib9 sanguineis nō leuat, suppurationes interiores, vt diximus, aut exitiū portēdit. 20
Pulsus arteriæ distensus, pleuretico periculum minatur, presertim si vires non sunt. 21
Saliua nigra in .viii. die incipiens, pleureticis malum presagium indicat. 22
Pthisicis autumnus contrarius 23
Infantes a pthisi facilius liberantur 24
Pthisicis pustulla in spatulis orta fabe magnitudine vltra .lii. diem mortem minatur 25
Pleureticis nichil vtilius sanguinis missione, quib9 medicinæ stupefacientes plurimum nocent 26

17 Pleuretici qui conualuere, si rursus errore seu temeritate reciderint, haud dubio moriuntur.

¶ Collectionum CAP. X

1 CAliditas stomachi nõ naturalis, lactuca commanducata conciliatur.
2 Stomacho ęquales medicinę propicię sunt.
3 Inexpertis aut dubiis leues primo vomitiones dari debent.
4 Exercitationes ante vomitum laudantur.
5 Ad vomitiones si vinum datur, copiosius bibi debet.
6 Biliosi ęstate ac meridie pręsertim, tuto vomunt.
7 Cholera vtiliter macris per vomitiones effunditur.
8 Qui leuamentum non pręstat vomitus, inutilis est.
9 Crebrę vomitiones grauidis, auribus, dentibus, oculisque nocent.
10 Sanguinem per vomitum emitti malum est.
11 Stomachi vulnus non sanatur.
12 Ad stomachum infirmũ, varij humores effundũtur.
13 In ventre calido bilis generatur plurima, pręsertim si cibus biliosus assumatur.
14 Frequens medicamentorum vsus, stomacho officit.
15 Stomachus qui faciliter sentit, temere quoque leditur
16 Mens commota nimia crapula, de facili discutitur.
17 Morbi ventriculi inextricabiles imbecillum hominem reddunt, obiter ęgre sanantur.
18 Ventris prospera habitudo, pinguia adamat, quæ & firmissimę materię cibum facilius concoquit.
19 Veratro optime vere purgamus, autumno tolerabiliter si id in vsu est.
20 Ante veratri potũ, pinguib9 & humidis vescendũ est.
21 Veratrum ęgris nõ semper prodest. sanis semp nocet
22 Pura corpora veratro leduntur. neruorum enim con-

tractiones facit.
In omni ſtomachi carthartico aliquid ſtypticum addē-dum eſt. 23
In affecto ſtomacho, vbi materia dubia eſt, hiere cō-poſitio prodeſt. 24
Stomacho calido aqua gelida nocet vſum nō habēti. 25
Cum ſtomachum cathaplaſmatis refrigeras, ne pul-mones aut iecur ledas cauendum eſt. 26
Oleoſa & pinguia ſtomacho inimica ſunt. 27
Qui venerem coarguunt, ſtomacho conſulunt. 28
Difficili vomitu ſtomachus vexatur. 29
Dolor ſtomachi ex aqua frigida interdum letalis eſt, ex quo & colicus dolor exoritur. 30
Si ſtomachi dolore puſtula in dextro crure ĩnaſcatur, in .xxvii. die ægri exitum portendit, in quo tempo-re dulcia ſupramodum adamant. 31
Si ventris affectu puſtula in ſupercilio orta nigra, fabę magnitudinis quæ in vlceris genus mutetur, morti-fera eſt. 32
Morborū fere omnium cauſa eſt ſtomachi infirmitas. 33
In longis morbis languens appetitus damnatur. 34
Sitim ſedat ſomnus. 35
Stomacho ſicco, corp⁹ areſit, humido hydropiſes prę-nunciantur. 36
Somachi habitudo ſicca, diutina vix corrigi poteſt. 37
In fortiori ſtomacho cibus tenuiſſimę materię viciat̃. 38
In ſtomachi affectu, ſi ſuper oculo vlceris genus par-uum apparuerit ciceris magnitudine, parti rubens, partim viride, ſuperueniatq; mētis delirium in .xvii. die mortem portendit. 39
In leua dormire ſtomacho vtile eſt, in dextra materi-am per aluum educit. 40

41 Pueri amplexus citra sudorē stomachū corroborat.

42 Vomicę stōachi calidę siliq̄ egyptia sępe data medet̃

43 Ventris & intestinorum in fluxionibus acida eructare, securitatis nota est.

44 Aluus nigra sanguini atro similis, repentina, periculosa est, si etiam sinefebre sit.

45 Nauseæ in pestilentia malum presagium est.

46 In decretorio tempore vomitus ęgrum a spasmo liberat. idem & comitiales morbos & lethargiam sanat.

47 Contra singultus infinitos vomitus prodest, idem & nephreticus vtilis est.

48 Corporis vires proterit mœror, fames, dolor, nec minus grauis odor.

49 Sanguinis vomitiones, & nigræ bilis malæ diiudicantur, deteriores quæ variant.

50 In febre sanguinē euomere periculosum est, alias quādoq; iuuat.

51 Vehementis clysterijs infusio vomitum sedat.

52 Si vomitus materia causa est, vomitiones medentur.

53 Calida pedes lauari, ac extrema fricari vomitiones sedant. Idem pręstat & somnus.

54 Ex febre ardenti vel inedia frequēs singultus malum augurium est.

55 Singultus infiniti ex ictu capitis letales sunt.

56 Singultus crebri, circa crisimum tempus, neq; spem neq; metum promittunt.

57 Singultus sternutamento finitur.

58 Si vomitu singultus non discutiunt̃, ac erubescant oculi, stomachi aut cerebri apostema significant.

59 Singultiētibus suppuratio in lateribus nata, in ortu solis mortem presagit.

Collectionum CAP. XI.

IN iecoris remedijs ducere ventrem vbi vrina 1
cienda ſit vel contra, maxime damnatur.
Iecoris medicamẽta vehementer contrita da 2
ri debent.
Abſceſſibus iecoris dulcia nocent, pręſertim calida. 3
Epaticos ſtomaticoſq; faciei color per ſe indicat. 4
Iecore male coquente, facies oculiq; tument. 5
Ventris fluxus initio carnis loturę ſimilis cum cibi ap- 6
petentia frigora indicat, cũ ſtomachi vero tedio hu-
morum corruptorum nota eſt.
Vẽtris fluxꝰ, vbi corpus calidæ naturæ eſt, ĩ virulẽtiã, 7
mox in fecẽ cõmutatur, qui ſãguis aduſtus dicit̃. cũ
plurimum hęc omnia pręcedit cholerica deiectio.
Ventris profluuium, ſi corpus frigidum eſt, in con- 8
gelatum ſanguinem, exinde in diuerſam materiam
tranſformatur.
Deiectio rurſus ſanioſa vel carnis loturę ſimilis, infir- 9
mam iecoris concoctionem oſtendit.
Alba excrementa vixq; confecta, digerendi & attra- 10
hendi vim inualidam ſignificant. varia vero corru-
ptam digeſtionem oſtendunt.
Retrimentorum leuitas albedoq;, attracticem virtu- 11
tem viciatam indicat.
In fluxu ſanguinis ſtyptica remedia interdum nocẽt, 12
obiter aperientia ac recreantia aromatis exiguo ad-
dito ex mero pręferuntur.
Iecoris dolore pruritꝰ occipitij polliciſq; pedis, ac pu- 13
ſtula citra colum nata, ęgri perniciem die .iiij. pręſa-
git, quod augurium vrinę difficultas, ſi affuerit, ma
gis confirmat.
Abſceſſus iecoris ſi ad lienem trãſfertur, laudatur. e di 14
uerſo periculoſus eſt.

15 Abscessus, si calidus est, siue in dextro siue i sinistro latere, egrum plurimum inquietat.

16 In morbo arcuato durũ fieri iecur perniciosissimũ est.

17 Puro iecoris apostemati, nullum presidium est, si vetus malum est.

18 Passum iecorariam ventris deiectionem facit.

19 Ventris profluuium quo corpus affligitur, si contrahitur, leuat. si profluit, ledit. ac ediuerso.

20 Senibus in longa valitudine fluxus metum facit.

21 Aqua intercus vitio iecoris fere semper oritur.

22 Lienis magnitudo hydropa minat̃, vel corpis maciẽ.

23 Hydropisis nocẽtior est quæ ex acuto morbo oritur, vel quæ in calido ac sicco corpore incepit.

24 Hydropici ex lienis q̃ ex iecoris duricie facilius sanãt̃.

25 Ex lõga hydrope, dyspnœa, aut crebri anhelit⁹, ventrisq; profluuium, triduo interitum prenunciat.

26 Gingiuarũ & oris vlcera in hydrope mortẽ minãtur.

27 Aqua quæ cutem subierit, si simul omnis effunditur, letalis.

28 Hydrops que iecoris apostemati superuenit, difficulter sanatur.

¶ Collectionum CAP. XII.

1 DYsentericis post aurem sinistrã enata pustula erui magnitudine, sitisq; interueniens in xx. die, mortis presagia sunt.

2 Intestinorum & stomachi leuitas, quæ torminibus oritur, egrum precipitat.

3 Alui deiectiones ex atra crassaq; bili non sanantur.

4 Aquosa deiectio quæ mox vnctioni similis profluit, damnatur.

5 In dysentericis neruorũ cõtractiones, vomitiones, sin-

gultus crebri, ac dementia deniq;, dira auguria sunt. 6
Balbi ventris fluxu facile periclitantur, alias (vt diximus) ęgre medicamentis purgantur. 7
Si in pueritia mollis est aluus, eadem in senectute contrahitur. & ediuerso. 8
Qui ventris profluuio moriuntur, ijs primũ vena formicans percipitur, mox intermoritur pulsus. 9
Iliacus morbus, nisi resolutus est intra .vii. diem, letalis est. 10
Colicus dolor vi pestifera quãdoq; regiões & prouincias occupat, letiferaq; contagia imitatur. 11
Febricula colicos dolores sanat si ex spiritu vel flegmate oriuntur. 12
Ex iliacis doloribus vomitiones & singultus crebri ac deliratio, dirum augurium faciunt. 13
Ex stranguria iliacus dolor, in. vii. hominem rapit, nisi febris cum sudore pręsidium afferat. 14
Pregnantibus tenasmus exitialis est. 15
In febris initio mortuæ tineæ, in remissione vero viuæ per aluum transmissę spem pręnunciant. 16
Cum hemorroydas resecamus, singulatim eas auferimus, in qua curatione, vna demũ dimittẽda, alioquin ęgro exitium minari. 17
Ani fistula interius secanda non est, alioquin inuolũtario excrementa emittuntur. 18

¶ Collectionum CAP. XIII.

SEnum exulcerationes q̃ vesicę facilius sanantur. 1
Vesicę calculi pueritiam, renum vero senectutem infestant. 2

3 Calculi morbus ad posteros transit, ideo hereditariũ malum dicitur

4 Pinguiores, renum calculi, vesicæ vero maciem sollicitant.

5 Vrinę difficultatibus, si tenasmus superuenerit in. vii. die exitium portendit, nisi profluuium malo subueniat.

6 Melancholicos iuuat moderata venus

7 Nimia venus corpus eneruat, & febres acutas & ardentes excitat, colicosq́ dolores irritat.

8 Oris graueolentia, nimia quandoq́ oboritur venere.

9 Infirmi stomacho tutius venerem negligunt.

10 A crapula vel inedia libido dãnatur.

11 Corrumpitur nimia salacitate fœcunditas.

12 Ebrietas conceptum inhibet.

13 Pedes oleo feruentis naturę peruncti venerem stimulant.

14 Viri hyeme, fœminę ęstate salaciores sunt.

15 Qui nudis pedibus ambulant, libidinem extingunt.

16 Veneris imaginationes nocturnas leuat semen lactucę ex vino potum.

17 Vuluę viciis iecoris habitus corrumpitur. vnde aqua intercus sępe oritur.

18 Steriles fœminas infirmas esse, verum fœcundas celerius senescere haud dubium est.

19 Si nidor fœminarum naturalibus subditus ori respõdet, fœcunditatis nota est.

20 A mensibus si natura humens est, conceptus non admittit.

21 Vbi hyemem nothus, ac ver aquilo perflant, abortiẽdi periculum est.

Mãmis cucurbitula imposita mulierũ mẽstrua sistit 22
Si grauidis vbera emoriuntur, abortus imminet 23
Vbi gemini in vtero sunt, si alterum vber emoritur, alterum partum enectum esse indicium est. 24
Pregnantem citra quartum aut vltra septimum mensem purgare, metus est. 25
Quibus menses in totum pręmature subsistunt, citius moriuntur. 26
Vulue strangulationes quę retardatis mensibus fiũt, 27
minoris periculi sunt q̃ quæ retento genitali semine accidunt. 28
Vulue strangulatus autumno magis sentiuntur. 29
Suffusę sanguine mammę furorem venturum esse testantur. 30
Mulier sanguinem vomens profusis menstruis liberatur. 31
Quę mẽsibus nõ purgatur, sanguinis ex naribus profluuio tuta est. 32
Locis laborantibus, aut difficulter parientibus, sternutamenta prosunt. 33

¶ Collectionum. CAP. XIIII.

VInum ieiunis potum articulis nocet. 1
Podagrici morbi a maioribus sæpe contrahuntur. 2
Ver podagras magis incitat, autumnus minus excitat. 3
Podagræ veteres quæ vario humore proueniunt, sanari non possunt. 4
Podagras quadoq; varices ortæ sedant. 5
Coxæ dolor ex cruditate oritur, verum& locorũ dolore sæpe contrahitur. 6

7 Articularius morbus membra reſoluit.

8 Iſchiadicos inurere ſummum prȩſidium eſt.

9 Bilioſa podagra quæ medicamētorum vſu nimio premitur, perniciem minatur.

10 Huic item vomitus magis q̃ deiectio ſubuenit.

11 Articulorum vitia, ſi iuuenes tentarunt, neq; callum induxerunt, ſolui poſſunt, maximeq; torminibus, aut alui deiectione.

12 Inſaniam emendant varices enatæ, aut per ora venarum ſubita ſanguinis profuſio, aut tormina.

13 Membra quæ reſoluūtur, ſi non mouentur & macreſcunt, in priſtinū habitum non reuertuntur, magiſq; ſi vetus malum eſt, vel ſenectuti acciderit.

¶ Collectionum CAP. XV.

1 OMnia exiccātia non mordentia carnem alunt.

2 Vlcera in alia parte corporis q̃ i carne ſita, omniaq; quæ rotunda ſunt, difficulter complentur.

3 Inſtans ſuppuratio diſcutienda eſt, ſubſiſtēs reſoluenda, increſcēs vtroq; modo oppugnāda eſt.

4 Cera inter vnctiōes additur, ne rerum vires protinus elangueſcant.

5 Gulæ vlcus ex vulnere, cumplurimum letale eſt.

6 Viſcida atq; ſtiptica vi, cicatricem inducimus.

7 Vlcera exiguo nutrimento vincuntur, balneoq; initio leduntur.

8 Suppuratis, vulneribus ve neruoſis, linamento opus non eſt.

¶ Alexandri Benedicti Phyſici collectionū medicinalium FINIS.

¶Nicolaus Perottus Bartholomeo Traiano .S.

HOdie inter versandū nōnullos libellos meos, codex quidam Hippocratis michi in manus incidit, philosophi mediciq; vt antiquissimi ita optimi. Eum cū (vt fieri solet)aperuissem legereq; vel potius relegere cepissem, æque admiratus sum & singularē viri facundiā, & summā integritatē. Erat enim in principio libri iusiurādū eius, optimū sane testimoniū illius eloquētię & virtutis. Id ego latinū feci, tibiq; & amicissimo michi & in philosophia apprime erudito, ac iam medicinę studiis incūbenti, cōfestim misi. vbi si eloquētiā eius non potui imitari, saltē sententiā effinxi. quo vt tu ita ꝑ te cęteri qui medicinę dant operā, quales esse debeāt ab Hippocrate discāt.

¶Hippocratis iusiurandum.

TEstor apollinē medicū, & Esculapiū, Hygiāq;, & Panatiā Esculapij filias, & deos, ac deas oēs, me (q̄tū i me erit & q̄tū ingenium meū valebit)hæc oia obseruaturū q̄ hoc iureiurando atq; his tabellis cōtinentur. Tributurū me pręceptori meo a quo hāc artē edoctus sum non minus q̄ parenti a quo sum genitus, vitā cū eo cōmunicaturū. Res omnes quas illi necessarias esse intelligā pro virib⁹ meis sūministraturū, progeniē eius, fratrū loco habiturū. hāc artē sine mercede & sine pactiōib⁹ edocturum. Pręcepta omnia libere & fideliter traditurū, meis & p̄ceptoris mei liberis ceterisq; discipulis q se legibus medicinę astrixerint atq; iurati fuerint, alij pręterea nemini. In curandis ęgrotis pro virib⁹ & ꝑ ingenio meo rebus necessarijs vsurū, nemini ęgritudinē dilaturū, nichil per iniuriā facturū. Rogatū mortale venenum nemini daturum, neq; id cuiq̄ cōsulturū, neq;

mulieri pregnanti ad interficiendū conceptū fœtū po
tionē porrecturū. vitam meā atq; artem meā puram
atq; integrā ſeruaturū, laborātis lapillo haudq̄q̄ exci-
ſurū, ſed expertis hui⁹ artis hoc negociū permiſſurū,
quancūq; domum ingreſſus fuero, dūtaxat liberādis
ægrotis operā daturū. omnē iniuriā, omnē corrupte-
lam, omne genus turpitudinis, res etiā venereas ſpōte
mea euitaturū, ſiue muliebria corpora curauero, ſiue
virilia, ſiue hominis liberi, ſiue ſerui, quę inter curādū
vel videro, vel audiero, vel etiam extra curā in vita ho-
minum cognouero quæ reticēda eſſe intelligā, nemini
aperturū. ſed intemeratam taciturnitatē ſeruaturum.
Pręſeus igitur iuſiurandū integre atq; incorrupte ſer-
uanti michi omnia tā in vita q̄ in arte mea ꝓſpera fœ-
liciaq; ſuccedant, & gloria in eternū parata ſit. Tranſ-
gredienti vero atq; periuro, cōtraria oia eueniant.

FINIS.

¶ Impreſſum in alma Pariſiorū academia Per Hen-
ricum Stephanum artis formulariæ induſtrium
opificem/ ex oppoſito ſcholæ Decretorū ha-
bitantē. Anno domini omnium autho-
ris & conſeruatoris milleſimo quin-
genteſimo quartodecimo
pridie Nonas
Ianua-
rias.